



Handwritten note: *Per 26223*

EPISTOLA

REVERENDISSIMI.D.

Hieronimi Oforij Episcopi

Syluensis, ad Serenissimam

Elisabetam Angliæ

Reginam.



Cum facultate & approbatione Reuerendissimorum patrum supremo sanctæ Inquisitionis consilio Præfectorum.

OLYSIPPONE,

Excudebat Antonius Riberius,

expensis Ioannis Hispani.

Anno Domini,

1575.



Approuação.

NEsta carta não ha coufa contra nosa sancta
fee catholica, nem contra os bõs costumes,
antes desfaz & refuta os erros dos herejes. Em Al
meirim a vinte de Ianeyro, de 1574.

Dom Afonso de Castelobranco.

*Vista a enformação imprimase. Em Al
meirim o primeiro de Feuereiro, de 1574.*

Martim Gonçalues de Camara.

Manoel de Coadros.

1. SERENISSIMAE

ELISABETHÆ, ANGLIÆ,

Franciæ, Hiberniæ Regina, Hiero-
nymus Osorius

S. P. D.



RAM EQVIDEM CLA-
rissima princeps in studium tuæ
majestatis & amplitudinis antea
facis incitatus, cum accepissem
quantum valeres ingenio, & quā-
tos progressus in literis græcis &
latinis haberes, & quomodo Re-
giam dignitatem cum eruditione
liberali coniungeres. Postea vero
quā ad me homines quidam de-
tulerunt, à te scripta mea libenter

legi, tanta facta est ad hoc meum erga te studium accessio, quā-
tam verbis explicare non possum. Vtrum id vere mihi dixerint,
an à me falsam gratiam mire voluerint, incertus sum: hoc vnum
scio, me ex eorum sermone magnam voluptatem percepisse, &
consilium iniuisse, quomodo tibi per literas animum in te meū
plenissimum pietatis & obseruantię declararem. Nec enim du-
bito quin eadem humanitate, qua opuscula mea lectitas, si ve-
rum est, te eorum lectio non mediocriter oblectari, sis has li-
teras meas acceptura, maximè cum illa ad communem utilita-
tem conferantur, hæc vero literæ præcipuum status tui præsidium,
& amplissimæ dignitatis ornamentum respiciant. Quauis au-
tem id præstare nequeam, hæc tamen voluntas mea non ingra-
ta tibi debet esse. Solent enim magni principes, non tam mune-
ris oblatis dignitatem expendere, quā offerentis animum atq;
fidem ponderare. Cum enim maximum Regiæ dignitatis præsi-
dium & ornamentum sit in hominum benevolentia atque fide-
litate constitutum, quomodo potest id illis iniunctum & in-
gratum accidere, quod intelligunt esse ex egregia voluntate atq;
singulari fide profectum? Ut autem hinc initium scribendi fa-

ciâ, soleo mecum sæpe numero Dei providentiâ in Regibus admirari, quod infinitæ prope hominum multitudini, ex tam diuersis, & valde inter se repugnantibus naturis constat eam mentem iniecerit, vt vellet vnum præcipue hominem intueri, vnius imperio contineri. vnius institutis & legibus alligari: vsque adeo, vt cum homines de reliquis rebus acerbo odio sæpe dimicent, effrenataq; mente dissentiant, in hac vna plerunque re summa secum animorum consensione conspirent. Cum autem hoc valde admiror, tum eos Reges, qui hoc tam præclarum atque difficile munus, ex voluntate illius lûmi atque sempiterni Regis administrant, homines omni virtute præstantes atque planè diuinos existimo. Nihil est enim maius & amplius, nihil magis arduum atque difficile, quàm frenare hominum cupiditates, refecare libidines, tueri innocentiam, virtutem præmijs allicere, flagitia pœnis & supplicijs coercere, & vniuersam denique rempublicam pace & otio constituto. florentem, omnibusque bonis affluentem efficere. Hæc cum nemo nisi sit diuina mente præditus præstare valeat, illi profecto, qui pro dignitate Regio munere & officio funguntur, in cœlitum numero reponendi sunt, & quasi quidam Dij inter homines reputâdi. Quod si viri excellentes cum omnè mentem in publica salute defigunt, & Regnum recte, sapienter, atque moderate gubernant, inuictosq; animo omnia, quæ sunt reipublicæ perniciosa repellunt, maxime admirationi sunt: profecto cum mulier idem præstiterit, multo maiorem admirationem commouebit. Quid enim admirabilius, quàm in femina virilem constantiam, in virgine senilem prudentiam, in summa opum affluentia summam modestiæ laudem eminere? Quid magis obstupendum, quàm mollem & delicatam mulieris naturam tantis esse virtutibus ornatam & instructam, vt totum Regni pondus sustineat, in eoque munere summa cum laude versetur, quod vix multorum hominum excellentium consilio, virtute, fide, autoritate conficitur? Quare si quemadmodum sperandum est, ita rempublicam temperaueris, vt minime à maiorum tuorum, qui pietatem vnice coluerunt, virtute degeneres, tanto illis omnibus magnitudine laudis antecelles, quanto maius est imperium à femina iuvene, quàm à viris ætate & exercitatione robustis sapienter atque fortiter administrari. Quod si vnquam publicæ salutis adiunxit, & ex ea curatione atque munere maximam laudem consecuta fuit, in ea tempora imperium tuum incidit,

incidit, eamque materiam nacta es, vt si eas actiones, quæ indole ista Regia quæ in te elucet dignissimæ sunt, velis animo constanti suscipere, sis omnibus Reginarum maximarum virtutibus obscuritatem amplitudine præstantissimæ laudis atque dignitatis allatura. Hoc autem vt possimus de te vniuersæ reipublicæ Christianæ polliceri, multa faciunt. Es enim singulari ingenio prædita, & magnarum artium disciplinis erudita, laudibus mansuetudinis & lenitatis, quæ cum istius formæ venustate consentiunt excellis, nec eas laudes quæ ex constantiæ magnitudine oriuntur tibi repudiandas existimas. Si igitur tibi deesse nolueris, optime reipublicam constitues, finemque omnibus malis quæ illam perturbant impones, & immortalem gloriam consequeris. Contrà verò si quid in tantis tempestatibus atque procellis offenderis, & gubernacula parum scienter tractaueris, periculum est (quod omen Christus auertat) ne reipublicæ istius nauis ad cæcos scopulos allisa frangatur, & diram cladem tibi commissi vectores accipiant. Cum igitur in eo statu sis, vt tibi necessariò vel summa gloria cum totius Regni salute comparanda, vel insignis infamia cum maxima reipublicæ peste subeunda sit, opinor nullas tibi opes aut facultates tanti esse, vt eas cum fideli consilio, quod quidem ad stabilendum Regnum pertineat, conferendas arbitrèris. Sed inquires fortasse, Adeone tibi ab amicis & consiliarijs in ops esse videor, vt velis modo mihi consilium dare? aut tantum otium tibi à Lusitanæ negotijs est, vt Britannicæ curam suscipias? Arbitror quidem esse in Britannia multos sapientes homines, & singulari virtutis atque pietatis laude florentes: quibus si aures præbueris, & tibi, & Regno tuo præclare consules, Regiumque decus, & dignitatem egregie sustinebis. Sed quemadmodum qui rei augendæ vehementer intenti sunt, quanuis diuitias ingentes domi congestas habeant, non tamen aurum & argentum aliunde importatum repudiant, & quo ditiores sunt, eo maioribus accessionibus opes suas augeri & cumulari desiderant: ita sapientes Reges, quorum gaza magis est in bonorum prudentia, atque fide, quam in maximo auri pondere collocanda, quanuis consilij abundant, nullo tamen modo, si qua fiat ad eas diuitias quas ipsi omnibus alijs anteponunt accessio, id aspernari debent: nec est illis magnopere curandum sit ne ciuis, an externus is, qui consilium dat, sed quo animo ad hoc officium accedat. Præterea consilia ab externis data, minus plerumque suspecta sunt. Multæ nanque insidiæ principibus à suis domesti-

cis intenduntur: multæ fraudes in aula Regia quæstus; & compendij gratia suscipiuntur: multa partim adulatione, & perfidia; partim offensionis periculosa formidine dissimulantur, ita vt raro inueniantur, qui Regibus libere loqui audeant. Accedit postremo quod nullum Christianum principem externum & alienum puto: sed omnibus obstrictum me esse profiteor: maxime vero tibi, quam in primis mihi propter spem, quam de tua benignitate concepi, vnice colendam & obseruandam proposui.

Vt autem ad id quod suscepi tandem aggrediar, duo in primis omnibus regibus consideranda sunt, & suscepti muneris amplitudo, & illius gerendi difficultas. Amplitudo enim tanta est, vt vix vlla maior in vita cogitari possit. Sunt enim Reges omnes pro parte sua iuris diuini Vicarij. Diuinum siquidem est, tantum vnum inter omnes excellere, vt omnes summa consensione se illi regendos atque tuendos committant: & in illius prudentia, virtute, bonitate, existiment esse sibi firmissima vitæ, salutis, atq; dignitatis præsidia constituta. Difficultas porro quanta sit, explicari non potest. Si enim difficile admodum cuilibet est tenere omnes cupiditates, coercere libidines, animi motus ratione comprimere, totiusque mentis statum recte moderari, ne quid insurgat, quod animum impetu turbulento concutiat: quantum tandem erit non suas tantum cupiditates, sed totius populi libidines ita comprimere, vt nullus ex earum immoderatione tumultus oriatur, qui reipublicæ statum labefactet? Is igitur cui est tantum munus inpositum, vt primum quidem se contineat (nec enim fieri potest vt aliorum libidines frangat, qui suas primum non cohibet) deinde reipublicæ vniuersæ motus ita ratione temperet, vt omnes ciues quantum fieri possit continentes & moderatos efficiat, virtutumq; omnium præsidio communiat, multis opibus humanis atque diuinis fulciendus est: vt id quod animo magno instituit, magna felicitate perficiat. Vt autem primum de humanis opibus loquamur (quæ tamen benignitate diuina continentur) omnes regum opes & facultates, quæ summa industria conquirende sunt, in bonorum hominum prudentia atque virtute collocandas arbitror. Nec enim aliquis princeps vlllo modo potest, vel in bello victoriam consequi, vel in pace dignitatem tueri, vel in negotio callide versari, vel in otio tranquillitatem retinere, qui non est bonorum comitatu circumseptus. Quomodo enim vnus tantum oculis omnia quæ sunt Regibus anuaductenda prospiciet? aut vnus tantum auribus omnium

que

querelas exaudiet? aut vna mente atque ratione de tot rebus, quot sunt ad salutem reipublicæ necessariæ cogitabit? Multi igitur sunt in Regni administrandi societatem conuocandi; qui sunt Regiarum virtutum opibus illustrati, nempe iustitia, temperantia, fortitudine, grauitate, constantia, liberalitate, & ea quæ laudes omnes complectitur sapientia. Ij autem tanta prudētia sint, vt omnia diligenter explorent, & quæ sunt euentura ex antecedentibus causis multo ante prouideant: tanta fide, vt nullo quaestu aut emolumento à veritate & officio deducantur: tanta virtute, vt nullo metu quominus omnia, quæ salutem asserere possunt, aperte dicant, impediuntur. Multi enim quanuis recte sentiant, & reipublicæ consulere cupiant, ne tamen in principum offensionem incidant, vera & utilia suadere nō audent. Vt enim ægroti sæpenumero pharmaca salutaria, si fuerint acerba & iniucunda, aspernantur & respuunt, & earum rerum cupiditate capiuntur, quæ sunt sanitati valde contrariæ: ita principes interdū animi morbis oppressi & impediti, veritatis medicinam reijciunt, & elaborata concinnitate mendacij, falsæque dulcedine vanitatis alliciuntur. Ita vero fit, vt quanuis in principio voluptate aliqua afficiantur, aliquando tandem dolore & cruciatu pœnas temeritatis & amentię persoluant. Vt autem nihil est veritate diuinius, ita nihil excogitari potest reipublicæ salutaris. Quod enim aliud discrimen est inter sapientes & insipientes homines, nisi quod sapientes vera bona inagno sibi studio comparant, insipientes autem falsis rerū imaginibus elusi bona inania consectantur: & ita tandem dum falsos honores ambiunt, falsasque voluptates exquirunt, dedecoris summi notis inuruntur, asiduisque flagitorum & scelerum pœnis excruciantur. Omnis igitur beatæ vitæ ratio veritate continetur: tota autem miseria mendacio & inanitate conficitur. Quocirca omnes principes, qui rempublicam saluam volunt, & suam dignitatem perpetuò retinere cupiunt, hoc præ se ferre debent, hoc verbis atque rebus ostendere, sibi nihil esse luce veritatis antiquius, sic autē bonos omni metu liberabunt: & adulatorum impudentiam cōpressam tenebunt. Quod vt rectius assequi valeant, opus est vt bonos atque veritatis amatores opibus augeant, & honoribus summis afficiant: improbos autem & inuentiendi, & adulandi artifices longissime à sua familiaritate repellant, omniq; honore indignissimos esse putent. Sunt enim adultores veritatis hostes sempiterni, omnibus bonis infesti, Regib⁹ valde perniciosi, neq;

solum in rempublicam vniuersam teterrimi, sed in Deum ipsum maxime scelerati. Qui enim veritatem oppugnat, ipsum summum rerum omnium dominum, qui est summa atque sempiterna veritas oppugnat. Sunt igitur homines isti nefarii atque pestiferi, ab omni nobilitatis aditu, congressu, familiaritate prohibendi, atque adeò in vltimas terras exterminandi, ne sceleris contagio ad Regum perniciem erianet, totamq; rempublicam mortifera tabe conficiat. Contrà verò qui nihil mentiuntur, nihil si nulant, nullas opes vere virtutis opibus anteferunt, vitamq; sapientia atque probitate moderantur, ex abditis etiam sedibus, si latent eruendi sunt, & inuiti etiam atque recusantes ad Regum familiaritate perducendi, multisq; opibus egregie cumulandi. Magis enim propria Regum diuitie sunt, quæ proborum hominum fidei committuntur, quàm quæ in ærarium Regis inferuntur. In ærario enim congestæ inuidiam constant: cum bonis autem communicatæ, Regis nomen illustrent, illiusq; statum gratiorum hominum fidelitate communiunt. Præterea opes abstruse atque reconditæ possunt aut latrocinijs auferri, aut ministrorum perfidia dissipari: at in gratis animis memoria beneficij perpetuo infixæ permanet, neque potest vlius importunitate conuelli. Tum illud etiam considerandum est, eos, qui non dolis atque fraudibus, sed vera virtute ad Regum familiaritatem peruenierunt, omnes eas opes quas à Regibus habent, ad eorum fructum à quibus eas habent conferendas existimare: at qui per simulationem virtutis & industriæ opes à Regibus adepti sunt, cum omnia ad suum emolumentum reuocent, simul atque maior species utilitatis eorum animis obijcitur, principes deserunt, & produnt, & aliquando etiam oppugnant. Vnde colligitur, quàm sint amentes omnes principes, qui neglectis bonis, opes & honores ad improbos deferunt, eorumq; fidei suam dignitatem committunt, qui præ sua cupiditate fidem sanctam habere non possunt. At qui tantum sapientia valent, vt electis improbis & sceleratis hominibus bonos asciscant, & illos secum consiliorum & officiorum societate coniungant, præclare salutis atque dignitati prospiciunt. Nec enim principum salus deferri potest ab illis, qui fidem omnibus vitæ commodis anteponunt, neque eorum dignitas aliqua de decoris suspitione maculari, cum perspicitur eos esse honestissimorum familiaritatibus implicatos. Vt enim nihil est quod maiore dedecore Reges afficiat, quàm flagitiosorum hominum familiaritas & consuetudo: ita

bono-

bonorum amicitia plurimum illis dignitatis & honestatis adiungit. Tale namque de illis opinionem concipimus, quales ij sunt quibus eos deditos animaduertimus. Vnde concludi potest, non esse diuites atque potentes eos Reges appellandos, qui aurigentes aceros, qui gemmas innumerabiles miro fulgore micantes, qui maximam vim eboris, qui plurima metalla possidēt, qui compluribus nationibus imperant, sed qui multos homines virtute atque fide præstantes secum habent, sanctissimo amicitiaæ fœdere, & honorum omnium quantum Regiæ maiestatis ratio pati potest, societate coniunctos. Illa namque omnia rarò sine virtute parantur, nunquam vero sine virtutis præsidio retinentur: at virtus reliquis opibus nudata dignitatem suam facile tuctur, lucemq; suam longe lateq; diffundit. Præterea diuitiæ si non sint virtutis præsidio munitæ, salutem dare non possunt, sed potius multorum cupiditatem irritant, & incendant, vt insidias illis qui diuitijs elati sunt, sæpe moliantur: at virtus sine diuitijs sæpenuero statum Regium conseruat, & imminetia reipublicæ pericula propulsat. Et hæc quidem de humano præsidio dicta sufficiant: nunc ad diuinum consequens est vt veniamus.

Si igitur tantum præsidium est in bonorum hominum probitate atque fide ponendum, vt sine illorum auxilio non possit Regnum aliquod aut reipublica diu salua consistere: quid tandem erit de ope diuina iudicandum? Deus enim est cuius numine, consilio, voluntate, regna nascuntur, augentur, atque retinentur: cuius mente atque ratione, gubernantur: cuius ope & auxilio fulciuntur: cuius denique offensione labuntur, & concidunt, atque delentur. Princeps igitur qui velit munere suo perfungi, & sibi commissum imperium apte moderari, eam primum curam suscipiat opus est, vt religionem purè atq; sanctè colat assiduisq; precibus opem à Deo imploret, & itatuat, omnem Regni feliciter administrandi rationem numinis placatione contineri. Primum enim si sapientia Regibus tam necessaria est, vt sine illa nullo modo possint aliquam reipublicæ partem attingere, quin omnia peruersa atque perturbata relinquunt, sapientiæ vero lumen non aliunde ortum habet, quam ab infinita illa & immensa sapientiæ luce & splendore, mentisq; diuinæ claritate, qua omnia reguntur & collustrantur: quid est Regibus maiore studio procurandum, quam vt toto animo in religionem incumbant, & castissimis precibus Dei opem efflagitent? Quod si fecerint, ex illorum mente diuinæ sapientiæ claritas. erinebit, & virtutis exi-

niæ:

miæ splendor oriatur, ut non solum quid sit rectum, quid honestum, quid utile perspiciat, & quantum vera bona à falsis intersint exploratè cognoscant, verum etiam omnia, quæ recta esse viderint, constanter efficiant. Vtrumque enim diuina benignitas & gratia præstat. Clarissimum enim lumen humanæ menti præfert, & animum inuictò robore confirmat, ita ut minime labatur, & erret, aut difficultatem gerendi muneris extimescat. Nec enim quidquam est tantis difficultatibus impeditum, aut tantis inuentionibus obuallatum, quod non facile is qui est diuina virtute præditus expugnet. Facillime igitur omnes animi motus ratione vacuos comprimet, & cupiditatem continebit, & omnes flagitiorum laves repellet, animiq; statum ita honestatis luminibus illustrabit, ut admirabilis in illo venustas, & pulchritudo, diuinæq; mentis effigies enitescat. Fieri enim non potest quin is qui Deum quoad licet & fas est in hac vita puris oculis intuetur, & illam præcellentissimam speciem & pulchritudinē assidue contemplatur, amore illius inflammetur, totumq; animum ad illius imitationē effingat: maxime vero, cum eam imitationem & similitudinem non tam studio, & contentione sua, quam illius gratia & beneficentia consequatur. Ex hac autem animorum cum diuina mente similitudine, sempiternum amicitie fœdus exiit: quod Deum ita cum humana mente copulat, ut omnia sua bona liberalissime cum animo casto & religioso communicet. Illā igitur, & consilio instruit, & virtute corroborat, præsidio sepius, & in omni rerum discrimine præsentis numine protegit. Hac igitur fiducia erecti, qui veræ pietatis studio incensi sunt, quamuis omnia bellis ardeant, & terra ingenti motu tremefacta dehiscat, nunquam animos demittunt, sed tum vel maxime diuinum sibi auxilium adfuturum confidunt, & in summa rerum omnium desperatione, ad firmissimam spem salutis atque dignitatis eriguntur. Vnde colligitur, cum tanta sit humanæ naturæ imbecillitas, & tanta in rebus fluxis & interituris inconstantia: omnisq; vita sit periculis exposita, in illis solis posse magnitudinem animi atque virtutis inuictæ fiduciam reperiri qui se Dei præsidio inuitos esse considerant. Cum igitur nemo Regium munus obire sine admirabili sapientia, sine egregio dignitatis exemplo, sine roboris inuicti constantia possit, & nulla ex istis laudibus è terra nascatur, sed omnes è cœlo diuinitus oriantur: constat certe omne Regis officium esse in religionis sanctissimam rationem conferendum. Soli namque sapientes

tes & moderati & fortes habendi sunt, qui Deo totius sapientiæ, & honestatis atque virtutis principe & architecto sunt purissimæ religionis fœdere denincti.

Quid vero de iustitia dicendum est? Poterit ne eam colere, nisi qui mentem in vim & rationem sempiternæ legis intenderit, & totius iuris & æquitatis originem cogitatione comprehenderit, & ordinem & convenientiam, qua summus ille rector omnia gubernat, vigilanter inspexerit, atque postremo qui se se toto animo ad studium diuinæ legis applicuerit? Nullo modo. Deus enim solus est vis, mens, & ratio legis, iuris fons & æquitatis origo, totiusq; iustitiæ parens, cuius numine leges omnes reipublicæ salutare & commodæ sanciantur, & cuius ope atque beneficio conseruantur. Vnde sequitur, vt illi solum iustitiæ splendore coluceant, qui in illud summum atque sempiternum iustitiæ lumen inspiciunt. Ex hac autem animorum conformacione qua homines Dei iustitiam imitantur, omniaque studia sua ad communem vtilitatem conferunt, benignitas & hominum charitas exoritur: inde lenitatis & mansuetudinis laudes existunt: inde postremò omnis dulcedo verissimæ voluptatis atque iucunditatis emanat. Nec enim vlla corpore percepta voluptas est cum ea voluptate, quæ ex vera honestate percipitur aliqua ratione comparanda. Corporis enim voluptas plerumq; furenter appetitur: & momento temporis effluit, mæstitiamque deinde inurit, & dedecus impressum relinquit. At ea voluptas quam vera virtus efficit, & sapienter exquiratur, & constantissime retinetur, & nulla ægritudine contaminari, aut flagitio deformari potest, cum sit ab omni labis contagione pura, & cum eximij decoris amplitudine copulata. Ex quo sequitur vitam eorum qui cum Deo amore coniuncti sunt, non solum esse diuinæ virtutis ornamentis exultam, opibusq; summis affluentem, & ad spem firmam gloriæ immortalis excitatam, sed etiam pura, & constanti, & eximia voluptate atque iucunditate refertam. Licet igitur cum Rege illo sanctissimo exclamare, Quam magna multitudo dulcedinis tue Domine, quam seruasti diligentibus te! Hæc igitur omnia bona quibus suscepti in maximæ virtutis exercitatione labores leniuntur, & admirabili quadam suauitate compensantur, continet in se religionis studium, sine quibus imperium administrari nequit. Tum etiam illud quantum est omnes enim subditi qui non fuerint immanitate quadam sceleris efferrati, eos Reges qui religionem pie coluerint, neque mediocriter

amabunt, neque mediocrem illis fidem adhibebunt. Fieri enim non potest, quin diuinæ pulchritudinis imago in oculis hominū constituta mirabiles amores excitet, & omnium voluntates ad se incredibiliter alliciat: nemoq; animum inducet vt erodat, eum qui Deum metuit, & illi valde placere cupit, fidem violaturum. Ergo partim quia intelligunt illum esse diuinæ sapientiæ monitis & consilijs eruditum, & in studium communis vtilitatis acriter incitatum: partim quia illius bonitati inuicem diffidunt, neq; fieri posse suspicantur, vt is commodi sui gratia communem vtilitatem negligat, & fidem & officium prodat, ei libenter acquiescunt, nec imperium illius aliquo modo recusant. Quòd si neque Regnum, neque ciuitas, neque domus vlla sine imperio consistere potest, imperium autē religionis puritate sancitur, nihil profecto religione vtilius atque salutaris ad hominum multitudinem continendam excogitari potest. Quid enim est quod imperium magis firmare valeat, eo principis studio omnibus perspecto & cognito, quo omnes suas curas, & cogitationes in reipublicæ salutem conferat: sic enim fit vt respublica illum admittatur, & diligat, & summa voluntate omnibus illius iussis obtemperet. Aliter enim non diu imperium illius sequetur, sed vt illud excindat quantum potest elaborabit. Nullum enim imperium suspectum & inuisum, neque tam virtutis opinione confirmatū, quam suppliciorum formidine munitum poterit esse diuturnū. Quòd si concordia reipublicam conseruat & auget, discordia vero eam dissipat atque comminuit, hanc autem concordiam ciuium inter ciues, principis religio rebus explorata conglutinat, omnes enim summa consensione principi religioso parent, imperioque illius libenter astringuntur: in ea certe constat esse summum firmiter reipublicæ co locandum. Tum illud etiam inuicem contemnendum est, quòd nec improbi ciues tanta confidentia illi principi insidias parant, quem diuino praesidio valatum existimant: neque hostes ita facile bellum contra illū suscipiunt, quem auxilio diuino constipari suspicantur. Si autem dolos intrinsecus, aut bellum comparant. id tamen titubanter & timide faciunt: ita vt facile scelerati ciues vel manifestò deprehensi poenas sceleris exoluant, vel iniecto metu à facinore reuocentur, & hostes etiam facillime à belli gerendi cupiditate discedant. Cum eis namque libenter fœdera iungunt quorum in bello virtutem metuant, in pace autem fidem diligunt, & ne fœdus inue percussum violent, inuicem pertimescunt.

Postremò cum omnis respublica principum mores imitetur; necesse profecto est, vt si princeps fuerit egregius pietatis atque religionis cultor, vniuersa respublica sese eadem religione constringat. Religio autem cupiditatem refrenat, petulantiam comprimit, insolentiam frangit, temeritatem & audaciam coercet, hominesq; modestos reddit & legibus, atque legum custodibus obsequentes. Nihil est enim ad continendum cupiditatis immoderationem, & reprimendam iactationem atque leuitatem metu diuini numinis efficacius. Cùm enim cogitamus, quam sinus illius summi domini & parentis optimi beneficijs obstricti, & quanta supplicia sint illis constituta, qui decus animi sui flagitio & impuritate contaminant, mète recolimus, & intelligimus nullas esse laceras, quæ aspectum diuinæ mentis impediunt, cum etiam ea quæ terre visceribus inclusa sunt, & tartareæ plage sempiternis tenebris occuluntur, illi pateant atque dilucescant: cum hæc inquam omnia nobiscum reputamus, partim ne aut turpitudinis offensione illius oculos violemus, aut nos ingrati animi scelere, quo nullum grauius esse potest astringamus: partim ne statum nostrum prodamus, & sempiternam nobis ipsi pestem flagitio nostro machinemur, cupiditati resistimus, diuinoq; presidio firmati clarissimam victoriam de temeritate deuicta atque profligata consequimur. Nec enim vnquam illi, qui Dei iudicia metuant, & illius offensionem verentur, sunt ab illius ope derelicti. Illius igitur ope defensi facillime omnem cupiditatis impetum à rationis arce repellunt. Compressa igitur & edomita cupiditate, non erit difficile seruire officio & dignitati, omniâque virtutum munera sustinere. Quis enim à se turpitudinem, repellat, nisi is qui summam illam atque sempiternam honestatem, & diuinæ pulchritudinis decus & elegantiam puris oculis intueatur? Quis iustitiam sanctissime colet, nisi qui modum, & ordinem, & convenientiam, qua cuncta à summo Rege temperantur, suisq; in locis aptissime collocantur, & muneribus illius præscriptiue distributis funguntur, ratione considerat? Quis pericula vitæ contemnet, & in acie pro iustitiæ sanctitate, & reipublicæ salute fortiter & strenue dimicabit, nisi is qui sibi diuinum auxilium minime de futurum esse confidit: & quanuis in acie cadat, intelligit se minime à Deo esse derelictum, sed potius sibi pro breui & exiguâ vita sempiternam reddendam esse, in qua omnibus summis bonis in sanctorum consortio perfruatur? Si igitur religio in pace homines efficit modestos atque temperatos, & inter se amo-

ris consensione mirifice conspirantes, & legibus atque principū iussis libenter & studiose parentes, in bello autem diuina quadam virtute corroborat, & studio immortalitatis incendit, vsque adeo, vt libentissime sanguinem, atque vitam patriæ largiantur, vt in cælum euolent: nonne satis liquet omnem Regis, qui officio suo satisfacere vehementer expetit, curam & cogitationem esse in religionis studio ponendam? Sic enim omnium virtutum opibus & ornamentis magnificentissime redundabit: & gloria ingenti nullis vnquam seculis interitura circumfluet: prædijisq; diuinis in omni rerum discrimine munietur: suorumq; sibi beneuolentia n egregie conciliabit: & ex tantorum bonorum recollectione ingenti gaudio cumulabitur: neque solum ipse beatus erit, sed sibi permissam rempublicam reddet eiusdem felicitatis atque beatæ vitæ participem: in quo quidem est Regis munus & officium constitutum. Quod enim est aliud reipublicæ principi munus assignatum, quàm vt rempublicam florentem, atq; beatam faciat? Quod quidem nullo modo sine egregio pietatis cultu, & religionis sanctitate perficitur.

Sed quo magis religio omnibus virtutibus præstat (omnes enim ex illa oriuntur, & eiusdem complexu & gremio continentur) eo magis metuendum est, ne impietas in nomen pietatis atque religionis inuadat, & per simulationem sanctitatis omnes sanctitates eueriat. Cum enim nihil sit magis aduersarium virtuti, quàm virtutis a simulatione, tum id in ficta religione apparet facillime: nam scelus immane, non nomine pietatis quasi quodam integumento fraudulenter inuolutum id suscipit, vt omnem religionem deleat, atque memoriam numinis cælestis extinguat. Hoc in loco Princeps amplissima valde prudentia tua mihi opus est. Cum enim sis tantis curis implicata, vt per te nequeas vlllo modo insidias vitare, & tantum periculum, quantum tibi & omnibus Christianis intenditur ratione præcauere, & cum in hac vna re præcipuè muneris tui summa consistat, vt religionem purissime colas, vt sis diuino præsidio cincta, commissumq; tibi Regno cum summa felicitate tuearis, nihil gratius tibi debet esse, in tanta Religionis dissensione, quàm ab homine tuæ dignitatis cupidissimo & ab omni cupiditate nefaria remotissimo, & minime veræ religionis ignaro de tantis rebus admoneri. Hoc enim tibi affirmare possum, me si ingenio & humanitati tuæ diffiderem, nunquam ad has literas scribendas accessurum fuisse. Summa namque temeritatis esset, id de quo scem prorsus abieci-

sem

sem curare velle. Sed cum ingenium, literæ, humanitas, indoles, & reliquæ laudes quibus abundas, in magnam me spem magni tui decoris atque dignitatis impulisset, & intelligam, id quod est in tuo Regno de Religionis sanctitate detractum, non esse tibi, sed multis hominibus, qui omnia iuris atque religionis claustra nescio qua amentia vexati reuellere conantur assignandum: quod autem non omnis religionis cultus interierit, tuæ clementiæ & pietati tribuendum, meam orationem tibi minime iniucudam fore confido. Quocirca te quantum possum oro & obsecro, primum quidem, vt hos meos conatus in bonam partem accipias: quod certe facies, si qualis sit in te animus, ex quo hæc omnia depromente inspexeris: deinde ne priusquam omnia, quæ his literis mandare constituo perlegeris, quidquam de illarum, vel sapientia vel temeritate præiudices: postremo te Christi optimi maximi fidem obtestans deprecor, vt si quam opinionem veritati contrariam aliorum fraudibus inducta comprehendisti, si eam recta ratio labefactabit, veritas patefacta conuellet, pietas extorquebit, ne beneficia Christi repudies, sed ei rationi, quæ magis cum christianæ disciplinæ sanctimonia convenire perspexeris, libenter assentire. Et enim non solum animi superbi & arrogantis est, sed etiam ingenij hebetis & obtusi (quæ vitia à te plurimum absunt) ita certis destinatisq; sententijs hominum importunitate inculcatis addici, vt nulla ratione queat ab ea sententia, quam semel tuendam recepit auelli. Cum autem hoc in omni vita sit valde bonis rationibus aduersarium, tum vero in praua religione pertinaciter suscepta pestiferum. Quo enim res est clarior, & illustrior, & utilior, eo ficta illius species est tetrior, & immanior, atque funestior. Quod vtinam his turbulentis temporibus minime experti fuissetus. Postquam enim quorundam hominum importunitate & audacia ab ea religione discessum est, quæ à Christi, & Apostolorum temporibus ad nostra vsque tempora inuiolata permansit, multiq; verborum lenocinijs inuitati ab ea via deflexerunt, quam Christi discipuli munierunt, & multi sancti homines, in quibus Christi spiritus infidebat illustrauerunt, vt eam sequerentur, quæ specie quadam libertatis atque incunditatis incautos & improuidos alliciebat: postquam igitur hæc noua disciplina multorum concionibus turbulentis, & libris contaminatis increbuit, vidimus repente pudorem extinguui, honestatem profigari, iura diuina & humana conculcari, sacra pollui, sanctitatem irrideri, audaciam impunitam volitare,

impur.

impudentiam corroborari, multiplices & inter se valde discrepantes opiniones inferi, & coniunctionem christianam impia sectarum varietate perfringi, & in omni loco, in quem hic hominum furor iruebat teterrimæ discordiæ flammam & incendium incitari. Inde nãq; acerba odia, crebri tumultus, pestifera cõtentiones exciterunt. Inde bella horrèda & exitiosa nata sunt. Multa deinde passim strages edita, multæ vastitates illatæ, multorũ opes ferro atque flamma consumptæ. Iam verò quãta in plerisq; eorum, qui harum opinionũ authores sunt crudelitas emineat, quam intoleranda arrogantia subnixa ambulent, quanta petulantia, & conuitio sanctos homines insequantur, quis non videt? Adde nunc legum interitum, imperij contemptum, regiæ maiestatis odium, & crudeles insidias, quas isti principibus impie atq; nefarie moliuntur. Adde clandestina colloquia, vbi de Regum peste atque perniciæ coniurant, & illis pro quorum salute Deũ venerari atque precari debuerant, exitium scelere infando machinantur. Quis enim est adedõ mentis expers, vt non intelligat hanc sectam popularem esse, & multo magis irritandæ multitudinis cupiditati & amentia, quàm coercendæ plebis insaniæ cõgruentem? Omnes autem populares homines cum nullo consilio, nulla mente sint, & immodica libertatis cupiditate raptantur, leges oderunt, iudicia detestantur: Regum maiestatem extinctam cupiunt, vt licentius & impunius queant per omnia libidinum genera vagari. Legibus enim solui cupiunt, vt serui cupiditatis hiant. An id obscurum est? An parum multis exemplis exploratum? An non perspicuum est omnes eorum conatus eo spectare, vt principibus de medio sublatis impunitam flagitiorũ omnium licentiam consequantur? Alios itaque veneno sustulerunt, alios ferro trucidare concupierunt, & de illorum imperio delenda consilia plena sceleris inierunt. Sed inquit fortasse aliquis, hoc non odio quod isti religiosi homines cum principibus gererent accidisse: sed propter religionis dissensionem, metuendum non esse si principes cum illis de religionis instituto atque ratione confererint, ne quod illorum vitæ periculum incitatæ multitudinis audacia & improbitate confletur. Hoc qui dixerit, fateatur necesse est, istius religionis institutum atque decretum esse, principibus qui noluerint religionem, in qua sunt sanctæ atque sapienter enutriti deseriore, vt popularem amentiam sequantur, necem per fraudem atque scelus machinari. Deinde parum prudenter animaduerti: huius sectæ finem esse nimiam liberta-

libertate, quæ nullis finibus arceri valeat: qua quidem nihil potest magis esse Regum officio atque disciplinæ contrarium. Regis enim officium est flagitium supplicio refecare: plebs effrenata omni suppliciorum metu solui concupiscit. Rex legum mirister, & custos, & vindex est: illa leges omnes quantum potest importuna temeritate conuellit. Rex paci & otio consulit: illa pacem & otium indomita cupiditate perturbat. Rex postremo non omnibus æqu aliter omnia distribuenda putat, sed vt quilibet dignitate antecellit, ita eum pro virtutis ratione remunerat: at ea omne dignitatis discrimen tolli, & infima summis permisceri desiderat. inde adeo fit, vt cum omnibus principibus infesta sit, tum vel maxime Reges immani odio persequatur. Nullam enim dignitatem excellentiam pati potest: & eo conatus omnes comparat, vt principes vel interimat, vel saltem in turbam conijciat, id quidem in principio non apparet. At postquam hominum furentium multitudo vires colligit, tum denum audacia impunitate diuturna confirmata ad perniciem Regiæ maiestatis erumpit. Cum igitur hæc sit multitudinis imperitiæ natura, simul atque populares duces adepta est, qui illam furiosis concionibus tanquam ventis exagitent, atque temeritatis & amentię fluctus immanes extollant: imperite certe faciunt principes, qui nascenti sceleri non resistunt, sed indulgentia sua illud alunt, & fauore etiam confirmant, non enim intelligunt se sibi ipsi interitum machinari, cum id crescere & augeri permittunt, quod tãdem adultum eos de omni statu deiiciat, seroq; tandem sentient se peltem aluisse, quam cum voluerint exsecare non poterunt. Tunc igitur amentię pœnas dabunt, quemadmodum faciunt omnes principes, qui popularem dementiam auctoritate publica armandam suscipiunt. At negabunt sectam hanc esse popularem. Quæ igitur secta popularis est, si hæc non est? An non seditiones passim concitat: an non legum atque iuris repagula perfringit? an non imperij maiestatem violat: an non omnibus spem nimiam libertatis ostendit? Vbi enim est maior imperij contemptus, aut vbi magis principes multitudinis irrisione luduntur? In ijs certe locis in quibus hæc disciplina pestis inualefcit. Si igitur hic furor ab hominibus popularibus impie susceptus, à principibus temere neglectus, ad summum peruenierit, quacunque tulerit imperium omnia regiæ dignitatis præsidia & ornamenta peruertet. Crede mihi Regina, respUBLICÆ interitus est, morum perniciēs, Regni vastitas, Regij splendoris exitium hæc secta, quæ nostris pecca-

ris in multis christianæ reipublicæ partes inualit. Sed dices non
 esse tibi tanti Regnum, vt velis præ illius cupiditate Regni sempiterni opes amittere: libenterq; te quoduis periculum aditurâ, dummodo tibi aditus in cœlum pateat. Hoc si dixeris, minime mirabor. Excelsæ namque mentis est, huius exiguæ vitæ commoda fluxa contēnere, & studio immortalitatis inflâmari. Quid enim est in hac vita boni? quid periculo vacuum? quid non arûnis vndique circumuentum? Risus, conuiuia, symphonias, ludos, festiuitates, multi dolores frequenter excipiunt, & omnes iucunditates exitu sæpe diro & exitiabili concluduntur. Vt autē omnia prospera cadant, mortis tamen acerbitas subeunda est: quæ nunquam procul abest, sed hæret semper in tergo, & aliquid quotidie de vita decerpit: Stultum est enim arbitrari, tum demū mortem imminere, cum vitæ finem imponit, cum vero quotidie vitam carpat, atque paulatim conficiat vim illius non sentire. Singulis enim diebus à morte innadimur: & quidquid ætatis elabitur, inhumanitate illius absimitur. Cum igitur summa celeritate fluat, & in tam exiguo temporis spatio infinitis doloribus atque miserijs obiecta sit, & omnes opes maximæ, momentū temporis euanescant: quid sapientius est, quàm omnia vitæ ludibria pro nihilo reputare, & mentis studio & cogitatione cœlestia atque sempiterna moliri? Quare si hæc tua mens est, vt quauis omnia pericula tuis opibus intenta sint, id minime curandum putes, dū modo ea ratio ne viam in cœlum munias, nunquam satis poteris tam excellam regis mentis indolem debitis laudibus exornare. Quare auctor tibi sum, vt si quam certam rationē isti nouæ religionis auctores afferre possunt, qua facilius ad regnum illud immortale peruenias, quannis ex eorum disciplinis magnum aliquod periculū fortunis tuis impēdeat, eos tamen foueas, omniq; honore dignos existimes. Non enim comparanda sunt exigua summis, humana diuinis, breuia sempiternis. Quid igitur afferēt quod tantum momenti habeat, ad regnum cœleste comparandum, vt antiqua religio deferenda, & regni commoditas & amplitudo negligenda sit? Magnum inquiet fortasse aliquis, & ad laudem, singularem mirabile. Nec enim nouitatis auctores sunt, vt imperiti homines opinantur, imo potius omnia, quæ prolapserant ad antiquæ disciplinæ seueritatem reuocare contendūt. Molestissime enim ferunt illam Christianæ disciplinæ puritatē, quam Christus & illius discipuli tradiderunt; esse multis superstitionibus implicatam, multisq; flagitijs fœde contaminatam.

Sin-

Singularem igitur rationem inierunt quemadmodum omnem superstitionem tollerent, & maculas Christianæ dignitatis abstergerent, vt ita tandem Christiana disciplina amissum splendorem, atque dignitatem recuperet. Præclarum quidem munus, & immortalis laude dignissimum. Quid enim cogitari potest vel ad fructum melius, vel ad dignitatem illustrius, quam in tanta mortuini labe, atque pernicie, rerumq; optinatum vastitate & exitio, existere aliquem tãta virtute præditum, vt nouo more antiquos mores recolat, inflicta vulnera sanet, ruinis oppressa reficiat, violatam religionem expiet, & omnes res diuinas instauret? Quare minime mirum est, si multi in quibus pietatis studiũ vigeat, & indigne patiebantur cultum verissimæ pietatis interire, tantis promissis excitati ad eorum se ductum libentissime contulerint. Sed illud in primis videndum erat, quàm locupletes authores essent, qui hæc profitebantur. Vt enim mercatores pro ratione pecuniarum vnusquisq; fidem æstimant, nec enim illi credunt, quem promisso satisfacere non posse putant: sic etiam in tantis & tam magnificis promissis, non solum erat quibus illi verbis fidem obligarent, animaduertendum: sed multo etiam magis an haberent facultates, quibus fidem suam liberarent, ratione ponderandum. Excellenti igitur integritate, grauitate, continentia, virtute, constantia, inflammato cœlestium rerum studio, summisq; spiritus diuini muneribus ornatum & instructum esse conueniebat, qui hoc tantum, & tam pulchrum facinus aggredere-tur. Illud præterea considerandum est, cum olim multi viri sanctissimi atque sapientissimi, in omni genere diuinæ virtutis excellentes extiterint, neminiq; eorum venerit in mentem tam honestam causam eadem ratione quam isti primum excogitarunt suscipere, esse consentaneum, vt ij qui nunc illam hac noua ratione & instituto recipiunt, tantum illos heroes virtute superarent, quantum hoc ab illis susceptum facinus, omnibus rebus ab illis in vita gestis ad amplitudinem laudis antecellit. Nunquid igitur est aliquis enũ sanctior, & continentior, & fortior Athanasio, Basilio, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, & reliquis viris sapientia, & religione præstantibus; qui non solum sese à communi vita segregarunt, vt toto animo atque mente in cœlo versarentur: sed posteris ea monumenta reliquerunt, in quibus illorum diuinam mentem spirare videmus? minime? Quid igitur, mediocri ne virtute res tanta confici potuit? credibile nõ est. Sed demus hoc illis, & fatear, nũ fieri potuisse, vt Deus eam discipline

rationem ad remedium & instaurationem religionis inductam, quam olim diuinis hominibus celatam esse voluit, ijs qui in aliqua officij mediocritate, versarentur, his temporibus, aperiret. Hoc saltem, fateantur opus est, eum quem diuina sapientia tanto muneri præficiendum esse putauit, mediocri virtute, mediocri pietate præditum, & in omni vita moderatū esse oportere. Nec enim Deus sanctitatis & honestatis amplissima munera sceleratis & flagitiosis assignare solet: nec auctoritatem habere possunt apud prudentes homines, ij, quorum vita est flagitijs infamis. Quamuis igitur ad tanti muneris & officij perfunctionem, insignem virtutem, & præcellentem auctoritatem, iure atque merito flagitabam, tamen quia temerarium fortasse illis videbitur, in hac hominum sece, antiqui officij atque virtutis exempla requirere, mediocri iam virtute & auctoritate contentus sum. Quis igitur ille fuit ita temperatus, ita moribus & vita constitutus, vt probabile sit Deum hoc illi officium, delegasse? Quis author & princeps huius instituti fuit, atque tam præclari operis architectus? Lutherus. Qualis autem fuit iste Lutherus? Homo certe (vt leuissime dicam) neque continens, neque moderatus, sed audax, furiosus, nefarius, turbulentus, & vnus omnium maxime popularis. Quales autem fuerunt deinde qui ab illius disciplina tantam à fonte profluxerunt? Homines profecto audaces, confidentes, elati, atque (ne quid grauius dicam) non tantis virtutibus ornati, vt eorum auctoritate permoti debeamus ab illius religionis institutis, in quibus suimus enutriti desciscere. Quomodo igitur in sani hominis rationem cadit, vt sanctissimus ille dominus, qui semper homines simplices, & moderatos, & humiles amplexus est, eorumq; mentes qui sibi nihil arrogabant, splendore sui, luminis illustrauit, nunc commutata ratione simplices & humiles præteriret, vt eos, qui neque pudorem, neque modestiam vllam retinent, noua hac & insolita luce collustraret? Quatandem inquam ratione, id quod hominibus tam sanctis, tanto studio puritatis incensis, tanta cupiditate diuini luminis inflammatis ignotum fuit, isti, qui, vt multis signis intelligi potest, huius vite comodis addicti sunt, soli acutissime perspexerunt? Sed de illorum iam auctoritate nõ disputo. multorum enim peccatis accidit, vt non animadverteret homines, eos in quibus nulla excellentis virtutis auctoritas inesset, non posse vlllo modo, id quod ostendebant efficere. Demus igitur ijs si lubet, fieri aliqua ratione posse, vt qui non sunt egregia aliqua virtute cõmendati,

& pie-

& pietatis studio præcellentes, id moliantur & efficiant, quod viri virtute & pietate clarissimi præstare non potuerunt. Quo tandē igitur pacto id assecuti sunt? Quia (inquiunt) illi quauis Dei spiritum sequerentur, & Dei verbis essent intenti, auctoritatem tamen hominum nimis intuebantur. nos verò neque humanam auctoritatem sequi, nec humanis institutis obligari, neque quid rectum & honestum sit, humana ratione perpèdere nobis decorum arbitramur. vnum authorem, atque magistrum habemus, nempe Deum: illiusq; tantum verbo, non humanis decretis & institutis, vitam inoderandam censemus. O viros admirandos, atque veneratione dignissimos. Ita enim loquuntur, quasi nullū sit iam eis cum humana natura, aut cum aliqua cōcretionē mortali commercium. Sensus enim videlicet iam fide compresserūt: animum à corpore seiunxerunt: neque solum naturam humanam repudiant, sed omnes sanctorum hominū auctoritates aspernantur. cupiditatis enim vinculis expediti, in cœlum euehūt, vt nihil aliud quam Deum inspiciant: nec vllum consiliarium sibi, nisi spiritum sanctum adhibeant. Quod si ita est, eos diuinos arbitror. Filij enim Dei sunt (vt Paulus auctor est) qui spiritu Dei aguntur. Qui autem filij Dei sunt, diuinis certe virtutibus ornati sunt. Quod si orationis impudentiam flagitiosa eorū vita coarguit, eos tamen audiemus, quoties se tantum Dei verbum sequi confirmant? Si enim verbum Dei tantū in omni vita sequuntur, neque cupiditatem, nec odium, nec iram, nec ambitionem vlllo modo sequuntur, diuinisq; virtutibus ornati sunt. Si virtutibus diuinis ornati non sunt, non est verum eos Dei tantum verbo esse prorsus addictos: cum verbo nāque Domini flagitium habitare non potest. Aut igitur Dei verbo non diriguntur, aut nullum in se flagitium admittunt. Si flagitium aliquod aut scelus in se admittunt, verbo certe Dei non diriguntur. Scelera autem multa concipiunt, vt constat, falsum igitur est, eos verbo, & spiritus sancti numine gubernari. Sed hæc spinosiora linquamus, & petamus ab illis, vt istius diuini verbi, quod in ore semper habent, specimen aliquod exhibeant. Dabis igitur hanc mihi veniam Princeps, vt omnia perscruter & excutiam, vsque eo dum pateat quā præclare sit ab illis Euangelij disciplina constituta. Libenter igitur ab illis auderim, an aliquod iam his tam multis annis opus ediderint, quod nos cogat confiteri, eos Dei tantum verbo niti. Bene narras inquit. Sed nosti verbi diuini munus esse, vt est apud Ieremiā, ante quā edificet, ad-

ficia vetusta diruere: ante quàm arbores fructiferas conferat; inutiles plantas euellere. Noui. Expecto igitur, & animo suspensus attendo, quid isto conatu & impetu tam præclaro diruatis, quid etiam euellatis, vt Christi ædificium instauratum, & hortum illius diuinis virtutum omnium plantis cultura egregia cõsitum aliquando videam. agite iam, celeritatem adhibete, summo studio contendite, vt id tam præclarum opus ad exitum perducatis. Date igitur operam quantum potestis, vt Satanæ mœnia conuellatis, superbiam excindatis, iracundiam & maledicentiam comprimat, impuræ & flagitiosæ cupiditatis fibras euellatis, omnem materiam furoris atque discordiarum seminarium extirpetis, vt tum demum modestiæ & humilitatis Christianæ fundamenta jaciatis, & vitæ continentiam & religionis purissimæ castimoniam, & charitatis Christianæ plantaria seminetis. Recte mones, sed aliquid aliud ante demoliemur. Quid tandem est illud tam durum & execrandum, quod prius quàm has tam funestas generis humani pestes funditus euertatis, excindere velitis? Rem inquit acerbam & indignam, & inclusum supplicium, ex omni memoria propter grauitatem offensiones euellendum. In ædes enim in quibus sacræ virgines incluse, noctes & dies hymnos in Dei gloriam concinunt, & Christum pro Regum atque Principum salute, & populi totius incolunitate venerantur, irruemus: pudor septa reuellemus: claustra pudicitie perfringemus: neque patiemur diutius ingenuas virgines voluptatis fructu priuari, & filiorum ore destitui, & in orbitate miseranda consensescere. Agnosco claustra charitatis & humanitatis officium. Quid deinde? Tum vel monachis, quorum etiam sodalitia similiter euertemus, vel quibusuis de plebe hominibus eas locabimus. Capite deinde sanciemus, ne quis in postenum audeat religionis causa libidini perpetuo repugnare. Capitale enim facinus est, nec vlla ratione ferendum. Quid audio? Tu veteris discipline seueritatem reuocas, qui id quod erat in illa valde admirandum, & quod cælestis puritatis imaginem continebat, tanta contentione conuellis? Quid enim est admirabilius, quàm compressa libidine, quæ animum à cælestium rerum contemplatione retrahit, tota mente de pulchritudine diuina cogitare, & amore ipsius diuinitatis incendi? Difficile inquit est. Sic si lubet etiam difficillimum, dum modo intelligatur, quo id difficilius est, eo magis illustrari diuinam clementiam: quæ tanta vi unbecillam naturam firmavit, vt posset implicitam in natura voluptatis cupiditatem

piditatem, puritatis excellenti studio comprimere, & dulcedine
 diuinæ iucunditatis illecta, omnem corporis oblectationem as-
 pernari. Si igitur aliquis fuerit non mediocriter studio pietatis
 incensus, & eo studio, vt liberius possit rerum diuinarum con-
 templationi vacare, sese à nuptiarum molestissima cura remo-
 uerit, si qua virgo amore sempiternæ dignitatis & honestatis in-
 flammata, id quod rarum & difficile est, ardenti animo suscepe-
 rit, & se sacris ædibus libenter incluserit, vt omni alia cura expe-
 dita Christo arctiore & sanctiore quodam vinculo coniungatur,
 & omnes incontinentiæ motus spiritu ipsius Christi, cui se dica-
 uit, constanter oppresserit, quis est tam auersus ab honestate, &
 tam gloriæ diuinæ contrarius, vt id tanquam nefarium aliquod
 facinus execretur? suspiciosum est: idem enim (vt Athanasius, &
 alij viri sancti commemorant) olim hæretici i fastidiant: simili
 odio castitatem persecuti sunt: eodem impetu sacrarum virgi-
 num collegia disturbarunt: neque passi sunt, quantū in illis fuit
 existere aliquem, qui regni cœlestis amore & cupiditate, Christi
 consilium sequutus, vel et omnem corporis voluptatem repu-
 diare, assiduoque diuini numinis cultu, & corporis atque animi
 sanctitate cœlitum vitam in terris imitari. Sed contineo me.
 Nec enim æquum est, vt ante quod est sublatum deplorem,
 quàm id quod est in loco illius substitutum aspiciam. Adhuc
 enim suspicari fortasse licet, fore, vt rei illius, quæ reponenda est
 magnitudo, facile iacturam, illius, quæ fuit sublata resarciat. Per-
 ge porro. quid deinde verbum istud quo nitimur dissecit am-
 plius? Omnes sanctorum imagines, omnia crucis signa, omnes
 tabulas pictas, in quibus erat aliquid quod memoriam diuinæ
 clementiæ, aut alicuius virtutis egregie representaret expressum:
 Nec post hac vllam Christi nostri liberatoris imaginem statui,
 neque sanctorum signa collocari, neque publice, neque priua-
 tim vlllo modo permittemus. & id quidem etiam suspicionem
 nonnullam mouet, eos qui id moluntur, velle paulatim, ex ani-
 mis omnia Christi moniméta delere. Cum enim nihil sit aptius
 ad memoriam excitandam signis & imaginibus: & cum hoc vnū
 præcipue nostrum officium sit, Deum in animo semper habere,
 & illius beneficia perpetuo recordari: & cum tam multa sint in
 vita, quæ nostros animos ab hac tam pia & tam necessaria cogi-
 tatione diuersos abducant: quæ tandem impietas erit, ea signa
 ob oculos semper habere, quæ cogitationem nostram ad memo-
 riam diuinæ clementiæ crebrius excitent, animosque nostros

acrius in studium pietatis impellant? Sed id tum demum vituperare poterimus, cum intellexerimus, illos non aliquod aliud imbecillitatis humanæ subsidium afferre quod melius atque fortius ipso in tuto aspectu, in animis imperitorum Christi beneficium imprimat. Nunquid est aliud quod sit manibus vestris diruendum? Sacra, ceremonias, atque sacramenta omnia funditus euertemus. Et hoc quidem etiam summum horrorem incutiat, opus est. Ceremoniarum tu sanctitates & sacramenta tollas, quæ Christus instituit, quæ Apostoli tradiderunt? quæ sancta Ecclesia comprobauit? quæ Christi memoriam replicando beneficia illius in mente defigunt? quibus nos illi sanctissima pactione deuinximus? per quæ sceleribus expiati, pabulo diuino confirmati, virtutisque inuictæ præsidio muniti sumus? Quid enim aliud immanes hostes Christiani nominis facerent? Miserum, acerbum, & luctuosum est, & homini Christiano minime ferendum, à tam sacris rebus, per quas recordatur, se tam sæpe fuisse, diuinæ gratiæ beneficia consecutum, & hoc Christianorum consilio, studio, opera, contentione diuelli. Nugaris, inquit, qui iustitiæ sanctitatem in istis ceremonijs ponendam existimes, quæ quidem tota est in Christi gratia collocanda. Hoc scilicet nos ignoramus: nihil legimus: nihil audiuius: nullus vnquam nostris animis cælestis splendor illuxit: hoc nunc primum nostræ aures accipiunt. Nunquam, mihi credite, nobis dubium fuit, omnem nostræ iustitiæ causam esse ad Dei clementiam, & sanctissimam Christi merita referendam. Id tamen defendimus, ea quæ idem nostræ salutis author, vt nos idoneos ad tam diuina beneficia capienda sanxit, & nostram imbecillitatem omni præsidio sepiret; instituit, non posse à nobis vlllo modo sine scelere nefario præteriri. Tum etiam illud asserimus, quod quoties rebus diuinis rite operam damus, experimur, sanctitatis mysteria ab illo designata atque constituta fuisse, per quæ nos sapiens de magnitudine suæ benignitatis admoneret: quæ supplicia illius pro nobis suscepta oculis pene subijceret: quibus fidem nostram vehementius excitaret: per quæ denique nostris animis gratiæ suæ rorem vberius instillaret. Hæc quidem nos, qui magnum ex illis fructum capimus, qui eo magis in nostris mentibus pietatis studium vigere sentimus, quo magis sumus illis rite procurandis intenti, à vobis sublata esse merito lamentamur, nisi vos, quod vestrum officium est, meliora reponatis. Est ne aliquid præterea, in quo se vestra iactet industria? Multa quidē. Vbicunq; enim pedem ponimus,

nimus, omnes nervos in eo intendimus, vt sacerdotum & pontifi-
 cum authoritatem frangamus, iugum Pontificis maximi à po-
 puli ceruice depellamus, & sacras illorū sanctiones abrogemus,
 ne sit quidquam, quod Christianam libertatem impediatur: & hoc
 quid aliud est quam tunicam Christi discindere, & ordinem ab
 eo institutum conturbare, & Ecclesiæ concordiam dissoluere,
 aditumq; dissensionibus infinitis aperire? Vt enim vna fides, vna
 religio, vna Ecclesia est, ita necesse est eam vnus authoritate
 summa atque moderatione contineri. Aliter enim multiplices,
 & infinitæ, & plurimum à se ipsis dissidentes religiones existent,
 & Ecclesiæ innumerabiles instituentur: quilibet enim eam, quā
 volet ad libidinem suā finget: qua quidem re quid magis pertur-
 batum atque confusum, aut magis à Christi placitis, & institutis
 alienum existimari potest? Accedit quòd sacerdotibus eiectis, &
 expulsis, & Pontificis authoritate neglecta & repudiata, princi-
 pes contra fas, religionis iura in suam potestatem redigunt, & te-
 mere res sacras attrectant, & eo sacrilegio in grauissimam offen-
 sionem diuini numinis incurrunt. Deinde quis non videt sublata
 sanctionum sacrarum religione, quæ Pontificum decretis conti-
 netur, omnem metum tolli, multoq; maiorem licetiam permit-
 ti? Quasi inquiet nos quidquam aliud moliamur, quam vt
 omnem metum amoueamus. Sumus enim perfectæ & absolutæ
 libertatis authores, tantumq; abest, vt patiamur aliquem metum
 ab hominibus, discipulis nostris impendere, vt eos etiam numi-
 nis metu liberemus: in quo quidem magno certe beneficio ho-
 mines nostros obstrinximus. nimis enim anxium & sollicitū erat,
 noctes & dies Deum timere, & molestissimis ea gratia curis af-
 flicti. Omnes igitur qui fidem Christo haberent, iussimus sine
 cura esse. Tantam enim fidei vim esse contendimus, vt ea firmis-
 sime constituta, quanuis homo nefarius sit, & iniustus, possit sibi
 Christi gratiam atque beatæ vitæ immortalitatem polliceri. Nihil
 est igitur quod homo qui fidem hanc retinet, extimescat. Quid
 hoc est? tu metum Dei tollas? tu formidinem, quam Dei iudicia
 incutiunt, depellas? Quæso quis vnquam homo tam popularis
 extitit, atq; tam furori & amentia plebis obnoxius, vt auderet
 homines Dei metu liberare? Imperium illi quidem principum
 abrogabant, leges populari libidini contrarias infirmabant, atq;
 tollebant: nomine libertatis imperitam multitudinem ad se alli-
 ciebant, vt sibi ad tyrannidē viam munirent: vt autem Dei iudi-
 cium nō timeret, nemo eorum populum est persuadere conatus.

Intelli-

Intelligebant enim hominem qui Deum non timet, non posse ullius imperio, ratione aliqua contineri. Quomodo enim Dei metu sublato, belluam & hominē discernes? Aut ut rectius dicam, quæ bellua tam inmanis, & truculenta est, quæ sit cum homine, qui nomen Dei non extimescit, feritate comparanda? At vide quantum inter istos Evangelij magistrōs, & homines à vera religione alienos, qui respublicas olim condiderunt, interfit. Illi cum prudenter intelligerent populum sine metu numinis legitimo imperio contineri non posse, falsas religiones instituerunt: isti ut audaciam hominum confirmarent, de vera religione metum qui hominum libidines frenare potuisset, omnino detraxerunt: illi qui fortasè Deum humana curare minime credebāt, Dei tamen metum imperitis iniiciebant: isti qui se diuinæ mentis interpretes esse iactant, operā obnixè dant, ut homines christianos omni Dei metu soluant, & ita in omne facinus sane confidenter impellant. Attamen nondū quàm recte se gerant disputo: sed quàm malam de se opinionem commoueat ostendo. Id enim videntur efficere, ut omnem viam salutis, ijs qui sunt aliquo crimine alligati, modis omnibus intercludant. Si enim nihil metuent, quis eorum ingemiscet? Quis suscepta flagitia lamentabitur? Quis ad odium suæ ipsius improbitatis exarscescit? Quis ad honestatem atq; sanctitatem totius animi viribus aspirabit? Quis ad Christi pedes abiectus cum lacrymis veniā petet? Quis operibus humanitatis & clementiæ flagitiorum suorum maculas eluendas suscipiet? Quid? inquit, tu in lacrymis, & in lamentis, tu in dolore ex scelesti tui recordatione concepto, tu in benignitatis officij iustitiæ puritatem collocas? ita sanè. atque, ut id faciam, non cuiusuis autoritate, sed legis diuinæ prescriptis adducor. Quòd autem vos aliud sentiaris, id non mediocriter admiror. Lacrymæ (inquit) fidei imbecillitatem coarguunt: omnia verò opera humana quamuis incenso pietatis studio gerantur, sunt insiti sceleris, quod nunquam elui potuit, contagione polluta & infecta. Quòd autem scelere contaminatum est, non poterit animum scelere confectum, aliqua ratione subleuare. Nos igitur hæc sapienter admodum considerantes, nullo modo salutem nostram in lacrymis, nec in operibus, sed in sola fide ponimus. Hæc iam mihi multo maiorem admirationem efficiunt. Fides enim hæc, qua Christi merito ad Deum aditum habemus, in diuinam legem respicit, ipsius Dei verbis innititur, Christiq; nostri Rectoris imperium minime recusat. Ergo cum diuina lex

quoties in flagitium aliquod incidimus, nos ad fletum vocet, cū omnes etiam prophete maximis vocibus, vt dolore atq; gemitu, & clementiæ operibus conceptum scelus expiemus, admonēat, cum ipse Dei filius aperte dicat, omnes qui nō egerint pœnitentiā, omnino perituros, atq; denūciat, eos qui bona egerint, in vitam æternam ingressuros, qui verò mala egerint igne sempiterno cruciandos esse, fidei munus & officium esse cōstituo, dolere, lamentari, contra suscepta flagitia odium acre & infestum cōcipere, & à prauitate vitæ ad studium honestatis & charitatis animo inflammato cnuerti. Quæ quidem omnia fides quoties viua atque vigens est, neque oppressa corporis cupiditate languescit, egregie præstat. Non quod aliquid ipsa in se ponat, sed quod diuinitus edocta planè sentiat, clementiæ diuinæ magnitudinē, ad eos solum permanere, quos impuritatis susceptæ pœnitet, & toto animo ad diuinæ legis studium conuertitur. Ea igitur opinio, qua quisq; secluso dolore, neglectis operibus, charitatis studio restincto, spem sibi sempiternæ felicitatis ostendit, nō fides appellanda est, sed audacia, temeritas & cōfidentia. Porrò autem salutaris mœsititiæ fructum tolli, & benignitatis studium restringui, plane constat cum homines statuunt, neque mœsititia, nec pro dolore, nec vllis sanctis operibus crimen deleri, sed potius susceptum crimen, noua criminis accessione cumulari. crimen siquidem statuunt esse lamentari, nullumq; opus sine crimine edi posse confirmant. Admiranda igitur, & obstupenda est hæc doctrina, quæ tam incredibiles res explicandas, & animis hominum inculcandas, tanta confidentia suscepit. Est ne aliquid aliud in illa similiter admirandum? Similiter admirandum inquis? imò quod tantum stuporem incutiat, vt neque Medulæ caput improviso oculis obiectū citius homines in silicis naturam conuertat. Quid illud tandem est? Rationem humanam alligant: cōsiliij libertatem eripiunt: voluntatem vinculis sempiternis impediunt: totumq; hominem iudicio, atque adeo sensibus orbant, & ita spoliatum omni sui ipsius arbitrio relinquunt, vt nihil inter illum, & lapidem interlit. Omnia namque ea, quæ homines animo designant, moliuntur, efficiunt, siue illa bona, siue mala sint, ad Deum authorem reuocant, & fatali, atq; sempiterna necessitate confringunt. Ex quo sequitur, nullum esse cōsiliū in vita, nullū iudiciū, nullā virtutis laudē, nullū flagitij dedecus, nullā iustitiæ vim, nullū præmiū iure atq; merito honestati propositum, nullum supplicium recta ratione turpitudini cōstitutum.

Quam

Quam enim rationem habet, vt ego pro eo scelere, quod non sponte mea suscepi (illud enim necessitate compulsus admisi) sempiternas pœnas exoluam? Aut quid conuenit, vt pro ea fide, quam non voluntate mea, sed motu & impulsu diuino coactus obseruaui, præmijs sempiternis afficiar? & quod videtur esse facinus horrendum & detestandum, iniquitatis istius causa tota Deo est istis tam præclaris authoribus assignanda. Sic enim disputant, eum sine vlla discriminis causa & ratione tantum quia li buit, ab omni temporis æternitate selegisse, quos sibi ascisceret, & gloria sempiterna remuneraret: & quos improbatos sempiterno supplicio mactaret. In quo quidem illorum decreto, & illorum constantiam simul, atque sapientiam requiro. Cōstantiam, quia libertatis authores omnem libertatem funditus tollunt: nisi fateantur se in principio licentiam nō libertatem constituisse: & deinde se libertatem non licentiam sustulisse. Sapientiam verò, quia molestiam incredibilem sine vlla causa suscipiunt. Nam si ita ab omni æternitate à Deo statutum est, vt nos eam doctrinam, quam ipsi tradunt accipiamus, quid attinet eam passim tantis scriptis & concionibus, tantisq; controuersijs atque periculis, tam immensis denique laboribus inculcare? Nisi etiam dicant, se ad inaniter & temere laborandum & vigilandum, & certamen cum multis hominibus ineundum, eadem ipsa necessitate coactos esse. Multa sunt alia, quæ verbum hoc diuinum, quo duce isti sapientes homines vtuntur, euertit. Infinitum enim esset, si vellem omnia persequi, minimeque necessarium, cum ad nostrum institutum, hæc quæ sunt dicta sufficiant. Cernis iam quam efficacax fuerit huius Euangelij vis ad diruendum, & euellendum ea, quæ nos idiotæ, non modo minime noxia putabamus, verum etiam ita ad fulciendam religionem accommodata, vt in tâta rerum omnium labe, pietas earum rerum studio maxima ex parte niti videretur? Virginum enim sacrarum domos disturbauit: admirabile illud exemplum perpetuæ castitatis extinxit: signa quæ memoriam diuini muneris atque beneficij frequenter renouabant, euertit: sacra, ceremonias, sacramenta, quibus mirum in modum multi mortales ad immortalitatis cupiditatē rapiebantur, omnino deleuit: illam modestiam & obedientiam, qua omnes Christiani summum Ecclesiæ rectorem verebantur, de medio sustulit: ius omne pontificium penitus abrogauit: metum numinis absterisit: incestitiam depulit: dolorem quem maleficorum conscientia animis afferebat, obruit: operum studium debilitauit:

uit: libertatem denique, ad quam omnes inuitabat, eripuit. Quid nunc reliquum est? Id videlicet, vt videamus quæ sint in locum earum rerum, quas sunt præclari artifices demoliti, eorum opera reposita atque substituta. Homines enim sapientes, diuinique verbi ministri, qui ea quæ utilitatem aliquam affererent, specie quadam vt significant superstitionis offensi deleuerunt, alia multo meliora atque sanctiora reddant necesse est, si volunt fidem suam præstare. Cum enim vidimus quid verbum illud Dei, quod prædicant disturbauerit, atque conuellerit, an non consequens est, vt quid extruxerit atque conueuerit aspiciamus? Quid igitur est quod refecerint & instaurauerint? quid est quod inieuerint? quis est fructus quem rebus humanis attulerint? Nihil est. Quid sit euersum video, quid sit extructum non video. quod est extirpatum sentio, quod latum est non dum perspicio. An parum iniquum est disfluens mores antiquæ disciplinæ seueritate deuincire, christianamque pietatem in illum statum, de quo iam pridem magna ex parte conciderat, magno labore restituere? Id quidem non parum esse puto, sed tantum, vt si id præstiteritis, vos homines diuinos atque e cælo delapsos existinem. Hoc igitur videmus. num mansuetudinem & humilitatem præcipuo atque singulari studio colendam suscepistis? num odij acerbicatem, num maledictiæ contumaciam à vobis longissime repulistis? num vestris cupiditatibus crucem defixistis, vt illis extinctis, in cælo facilius mentis altitudine versaremini? num aliquod mirabile virtutis atque pietatis specimen præbuitis, in quo possimus antiquum Euangelij splendorem, & imaginem illius sanctissimæ puritatis & charitatis agnoscere? Minime. imo vero, vt quisque maxime isti se disciplinæ dat, ita maxime teter incedit, & simpliciores irridet, & odio publicæ tranquillitatis atque pacis accenditur, & cogitationibus inanissimis inflatus extollitur. Eâ namque sibi sapientiam arrogat, quam nemo vnquam assecutus fuit; eâ confidentia quidquid illi in mentem venit affirmat, atque si aliquid diuinum oraculum enuntiaret: tam proiecta audacia omnia turbat, vt nihil male videatur, quam omnia confusa cernere. Quocumque igitur se inferunt, vt Euangelium suum imperitis obtrudant, tantum abest vt mores emendent, vt etiam multo impuriora omnia reddant, quam offenderant: pudorem enim exterminant: cupiditatem vinculis laxant: metuque Dei sublato flagitiorum impunitam licentiam largiuntur. Sic autem fit, vt libido multo violentius erumpat, & luxuria citius omnes opes

exham-

exiamur, improbitas audacius exultet, & immaniora facinora
 moliantur. Quid enim referam vias latrocinij infestas? Quid dis-
 sensiones, dissidia, turbulenta recenseam? Quid coniurationes
 contra principes initas, & proditones atque caedes exponam? At
 iniquis hæc mala semper in omnibus rebus publi. versata sunt.
 Nemo negat, sed ea mala vellé vt illa tam salutari disciplina tol-
 lerentur. Quod cum non sit, imo potius quo illa magis incre-
 bescit, eo maiora flagitia committuntur, & ab illis ipsis, qui sese
 ad magistrorum istorum nomen adiungunt, cum maiore impu-
 dentia suscipiuntur, magnam certe argumentum est, eos mini-
 me fuisse instituti & in hæc diuino ad docendum impulsos. Vi-
 de autem quantum inter antiquos Euangelij ministros, & istos
 qui se illorum vestigia sequi prætentur discrimen sit. Illi disci-
 plinam qua orbem terrarum illustrarent à Deo acceperunt: isti
 ingenij sui confidentia subnixi, se ad docendum contulerunt. Illi
 mirabili quodam exëplo integritatis, & continetie, disciplinæq;
 feruoritate, fluxos hominum mores astringebant: isti nequitie
 exemplis, atque dissoluta disciplina, cupiditatem multo acrius
 instigant. Illi ad humilitatem & mansuetudinem, & patientiam
 instruebant: isti plerumq; ad superbiam & immanitatem, atque
 contumaciam, homines sibi commissos instituunt. Illi Dei metu libi-
 dines & intemperantiam coercerant, & eos qui fuerant ad ali-
 quod flagitium prolapsi, ad ætatem, & lacrymas, ad ieiunia, atque
 preces multabant: isti eorum qui sceleribus alligati sunt, impu-
 dentiam proposita impunitate corroborant. Illi quantum pote-
 rant homines à corporis coniunctione diuellabant, vt diuinitati
 rerum studio vehementius inflammarentur: isti suos cupiditati
 corporis arte constrictos dedunt, vt libidibus obsequantur.
 Illi postremo cum omnes idem sentirent, omnes enim vnū ma-
 gistrum habebant, nempe spiritum diuinum, ita vt non posset
 aliquis ab aliorum sententia discrepare, pacem firmo sœdere iu-
 gebant, omniumq; voluntates amore mutuo conglutinabant:
 isti vero cum pro suo quisque ingenio quidquid somnians hallu-
 cinatur effutiat, sintque ea de causa in varias & infinitas sectas
 distracti pacem turbant, dissidia concitant, bella pestifera moli-
 untur. Nemo tunc ex illis venientium spargebat: nemo contra ci-
 ues gladium sponte sua vibrabat: nemo de principum pernicië
 & interitu conurabat: nemo inter potula intemperanter lasci-
 uiebat. Cum vero omnibus maximarum virtutum laudibus
 abundaret, cum in illa erant mirabiles, quod pro eorum salute
 à qui-

à quibus insignes iniurias accipiebant, Deum venerabantur. Cōtumelijs laesiti, contumelias non intorquebant iniurijs affecti, acceptas iniurias cum poterant beneficentiā compenfabant: ærumnis oppressi, illis à quibus erant contrarius & fas indignissiq; me violati, nihil durum inprecabantur: Serui domnis summa cum fidelitate seruiabant: milites in bello pro salute reipublicæ strenue dimicabant: in pacē vero minime principum iussa, que non erant diuinæ legi contraria, recusabant: quin potius omnibus rectoribus quanuis essent à Christi sacris abhorrentes, tantamquam Dei ministris summa voluntate parebant: Sic igitur vitam instituebant, vt nec in pace, nec in bello, nec in otio, nec in negotio, nec in republica, nec in domestica, aliquid gererent, quo vel ordinem reipublicæ perturbarent, vel homines aliquo exemplo flagitij & improbitatis offenderent. Omitto ieiunia, cilicia, vigiliæ, quibus libidinis intemperantiam comprimabant, & corpus animo semper obediens esse cogebant. Omitto opes, quas in egentium inopia subleuanda conuuliebant. Quid de precibus illis assiduis dicam? Quid studium illud referam, quo sic erant in Deo tota mente defixi, vt quanuis corpore in terris versarentur, animo tamen in cælo consisterent? Quis lacrymas illas, quas desiderium patrie cœlestis excitabat, quis illa suspiria, quæ diuini amoris facibus inflammati frequenter edebant, explicare dicendo poterit? Non loquor de illis, qui inuictō animo pro Christi gloria, cruce, igne, equuleos, & exquisita supplicia pertulerunt. Illos etiam prætereo, qui vt melius possent Christum semper intueri, rerumq; diuinarum studio vehementius incumbere, sese ab hominum cœtu remouerunt, & in vastâ solitudine, in summa rerum asperitate & inopia adeo tenui victu inter feras vitam propagabant, vt summum omnibus stuporem iniicerent: qui tamen cœlestium rerum iucunditate perfusi, facillime nuditatem, inediam, per vigiliam tolerabant. De cōmuni Christianorum eorum qui propius aberant ab Apostolorum temporibus, pietate & sanctimonia loquor, in quibus ardentissimum virtutis, & honestatis, & charitatis, & modestiæ studium vigeat. Hæc nobis restituat Euangelici viri, hos mores reuocent, ad hæc nos institua magna ex parte multis iam annis intermissa reducant, & faciant denique, vt tam ipsi, quam omnes qui eos sequuntur, ab omnibus vitijs abstineant, & virtutes illas diuinas, in quibus olim homines sancti floruerunt, uniantur, & tum credi potest, per eos esse Euange-

lium constitutum. Quòd si nihil horum præstare possunt, imò quidquid erat pudoris atque religionis extinguunt, si nullo ferme in loco consistunt, vbi non statim legum contemptus emergat, petulantia, libido, furor, immanitas, & reliquæ vitæ pestes, in mores inuadant, & turbas atq; seditiones commoueat, adeò tamen impudentes erunt, vt Euangelij mentionem facere audeant? O Euangelium insidiosum & fraudulentum. Fausta enim nunciat, & pestem comparat. Spem libertatis ostendit, & iugum durissimæ seruitutis imponit. Specie præsentis iucunditatis allicit, & postea multis curis animum, & mœstitia ingenti sollicitat. Viam in cœlum se monstraturum esse pollicetur, & homines illius ope f. etos in miserix sempiternæ regionem præcipientes exturbat. Quæ enim est alia in cœlû via, nisi quæ est sanctis actionibus, & excellenti vitæ integritate munita? Qui igitur nomine pietatis, studium pietatis atque benignitatis oppugnant, non ad vitam sempiternam ducunt, sed ignis sempiterni flammam exsuscitant. Animaduerte quæso diligenter, quibus verbis Deus apud Ieremiam verum, & falsum Euangelium discernit. Nolite inquit audire verba Prophetarum, quibus iucunda prænunciant & decipiunt vos: visionem cordis sui loquuntur, & nō de ore Domini. Sic enim loquuntur ijs, qui me probri afficiunt, pax erit vobis, & ijs qui ambulant in prauitate cordis sui dixerunt, non immet vobis malum. Quid hic dicendum? num potuit magis aperte hominum istorum ratio describi, & notari impudentia? eos enim qui multis flagitijs inquinati sunt, omni metu liberant: & ijs qui bellum pietati indicunt, fausta atque felicia pollicetur. Adiungit deinde. Quis enim eorum adfuit in consilio Domini, & vidit, & audivit sermonem eius? His etiam verbis constat huius temporis Prophetas, qui tam iucundi sunt multorum auribus designari. Nemo enim eorum sic vixit, vt suspicari aliqua ratione valeamus, Dominum cum illo consilia sua communicasse. Quis enim ex illis ita libidinem compressit, vt nullum ex ea flagitium ad hominum offensionem prorumperet? Quis ieiunijs, & precibus asiduis, & pietatis atque humanitatis officijs iram Domini placandam existimauit? Quis vt pestem à suis auerteret, multis lacrymis Dei numen ad gratiam inflexit? Quis denique tanto studio charitatis exarsit, vt se pro aliorum salute offerret ad mortem, & pœnas reipublicæ sceleri constitutas subire atque sustinere cuperet? non enim mediocri virtute, neque vulgari dignitate commendatos esse oportet eos; quibus credere possumus,

præcipue Deum mentem suam aperuisse, sed præstante, & eximia, multisq; modis admiranda. Nec enim Prophetæ, nec Apostoli, neque reliqui homines sanctissimi, quos summus ille Dominus consilij sui participes effecit, illum altissimæ dignitatis gradum, ea vitæ iucunditate, qua isti homines lauti & urbani delectantur, consequuti sunt: sed admirabili & eccellente morum sanctitate, incredibili vitæ duritia, multis laboribus atque vigilijs, multis precibus & lacrymis, flagrantissima rerum cœlestium cupiditate, & tã ardente charitatis studio, vt cuperët pro omnium salute mortem obire, intolerabiliq; dolore cruciari. Quas quidẽ virtutes cum isti ne suspicione quidem attigerint, sed ita viuunt, vt multis signis appareat, eos nec à communis vitæ commodis, nec à naturæ blandimentis & leuocinijs abhorreere, ita tamen loquuntur, quasi in consilium Domini admissi sint, & omnia quæ dicunt de illius sententia & mente pronunciant. Merito igitur eo in loco Deus talium hominum impudẽtiam maledictis insequitur, & dirum illis exitium minatur: paucis deinde interiectis insignem notam apponit, qua facillime veros prophetas à falsis internoscamus. Ait enim, Si steterissent in consilio meo, & nota fecissent verba mea populo meo, auertissent profecto eum à via sua mala, & cogitationibus suis pessimis. Vt igitur ex hac diuina sententia constat, vbi veri prophetæ populum instituendum & erudiendum suscipiunt, multi repente commutantur animis, & meliores in dies fiunt, & præ immortalis gloriæ cupiditate corporis voluptates aspernantur, & commoda vitæ despiciunt, & magna quadam alacritate in studium diuinæ legis incumbunt. Contra vero quocumque in loco falsi prophetæ vestigiū ponunt, cernes repente maiorem flagitiorum licentiam, minorem ad omne facinus verecundiam, flagitiosiore in omni genere turpitudinis intemperantiam, ita vt facile cerni possit, eos quẽ admodum idem Propheta sub Dei persona eo in loco fuisse persequitur, id moliri, vt diuinæ legis studium, sanctissimæq; religionis memoriam, sempiterna obliuione sepeliant. Et hic quidem Ieremiæ locus non sine causa à me inductus est. Ex eo namque percipimus, quoniam signo falsæ doctrinæ prauitatem à vera & salutari distinguamus. Si enim postquam ista noui Euangelij, nouæque religionis disciplina in Britanniam immigrauit, immigrauit simul cum illa pudor, integritas, innocentia, si morum grauitas & constantia, si vitæ seneritas, si decoris & honestatis laudes è tenebris emerferunt, si fides erga principes, si mutui ciuium

inter ciues amoris, consensus, & conspiratio firmitus constituta fuit, si studium charitatis atque pietatis multo acrius & ardentius excitatum, si templa meliore atque sanctiore religione culta, si memoria Christi pro nobis in Crucem acti fuit multo altius in animis impressa, ita vt multi Crucis studio, Crucem sibi constituerent, qua libidines suas, quæ bellum inexpiabile cum Christi sanctitate gerunt, eliderent, si denique nouus quidam splendor exortus est, nouusq; diuinarum virtutum ornatus non antea visus enituit, non ita digni reprehensione videntur, qui illam secuti sunt. Si vero nihil horum istius disciplinæ studio perfectum est, imo tunc multo audacius temeritas, impudentia, libido, passim volitauit, si intolerabilis superbia & arrogantia fuit multo magis quam antea confirmata, si seditiones, contentiones, atque dissidia facilius excitata sunt, si perfidia maiestatem Regiam audacius violandam suscepit, & vitæ principum insidias machinata est, si multos eorum qui sese penitus huic disciplinæ dedidere, neque pudor, neque metus, neque diuini iudicij formido iam potest à facinore deterrere, si omnis ista malorum colluuius, aut saltem horum malorum incrementum, simul cum ista disciplina importatum fuit, dubium esse potest, eam non fuisse verbo Dei, vt prædicant, sed infelicitissimi dæmonis fraude constitutam. Verbum enim Dei pudorem & integritatem sancit: at illa soluit omni vinculo cupiditatem, & quod est consequens ad flagitium furibunde sollicitat. Dei verbum omnem sedat arrogantiam, & ad modestiam in primis instituit: illa vero animos effert, & in contempionem totius antiquitatis, & prisce religionis atque sanctitatis adducit. Verbum Domini pacem conciliat, & animos rerum optimarum communionem consociat: at hæc doctrina concordiam dissoluit, & Ecclesie corpus intestina seditione dilacerat. Quomodo enim authores pacis & concordie possunt esse, qui nec cum alijs similiter à via declinantibus, neq; secum ipsi consentiunt? qui à se ipsis inconstantissime dissident? qui alias atque alias opiniones, valde inter se repugnantes tuendis suscipiunt, nec in vna sententia diu permanere possunt? Cum igitur Christi officium sit (vt ipse testificatur) dispersos in locum vnum compellere, & animos inter se dissidentes sententiarum consensione, & mutua beneuolentia & charitate coniungere: Diaboli vero officium sit optime consentientes dispergere atque dissipare, omnemque societatem sancte constitutam dirimere, & horum euangelicorum hominum disciplina tumultus concitet, &

tet, & concordiam dissoluat, & vnam sectam in sectas infinitas
 diuidat, & alias ad aliorum odium incendat: num obscurum est
 eorum institutum atque disciplinam minime ad rationes Chri-
 sti pertinere, sed totam esse Satanæ versutia atque fraude com-
 positam? Quod enim maius argumentum requirimus, quàm il-
 lorum inter illos odia, contentiones, rixas, atque conuitia? Hæc
 mala Christus non efficit, sed Antichristus. Non est enim Deus
 author dissensionis, sed pacis. Nec illud postremo est silêtio præ-
 tereundum, quorsum tandem hæc variarum sectarum licentia,
 atque garrindi impunitas erumpat: eo enim tendit, vt omnem
 Dei cognitionem funditus tollat. Nam cum nulla apud eos religio
 ita firmiter constituta sit, vt non facillime aliorum disputatio-
 ne refellatur, cum plerique omni vento iactentur, & in diuersas
 partes turbulentis, & errantibus opinionibus agitentur, & modo
 in hanc, modo in illam partem quasi tempestate delati rapiantur,
 nec in vlla certa sententia consistant, cum multi tandem
 earum sententiarum vanitatem, quas aliquando sequuti sunt re-
 bus explorent, fit tandem, vt omnem religionem ludibrio ha-
 beant, Deumq; aut non esse putent, aut res humanas ab illo mi-
 nime curari censeant. Quo quid inmanius dici aut cogitari po-
 test? eo tandem prorumpere postquam semel ab illa vnica & re-
 cta via deflexerint homines Christi numini dicatos, & ad Dei co-
 gnitionem per ipsum Dei filium eruditos, vt non solum Crucem
 Christi odio persequantur, & pro Deo cupiditatem suam atque
 flagitia venerentur, verum etiam ipsum rerum omnium domi-
 num, cuius summan potentiam, rectissimaq; iudicia manes in-
 feri pertimescunt, aut esse non credant, aut saltem à mundi to-
 tius in moderatione remoueant? Et quis ille inquistam ferus & im-
 manis est, qui hoc tantum scelus & tam immane concipiat? Mul-
 tos quidem, si rem diligentius explorare volueris, extitisse com-
 peries, qui disciplinis istis tâquam gradibus sublatis, ad summum
 tandem huius sceleris infandi fastigium ascenderunt. Vt enim in
 reliquis artibus, nemo repente potest illius, in qua sibi elaboran-
 dum duxit, perfectionem assequi: sed opus est à rudimentis in-
 choare, & ita paulatim via & ratione progredi, atque ad vltimū
 tandem peruenire: ita in sceleris disciplina sunt certa iuitia, atque
 prauitatis elementa, quæ si longius serpere atque progredi per-
 missa fuerint, ad perfectionem sceleris illius infandi perducen-
 tur, ad quam nihil iam possit accedere. Qui autem hoc tam ne-
 fario scelere cœcitate sunt, ipsi se operibus indicant. Neq; enim
 si Deum

si Deum omnia prouidentem, & animaduertentem, & in terra facinora feruissimè vindicantem esse putarent, tam inexpiabiles fraudes suscepissent. Sed furore & dementia præcipites eo progressi sunt, vt quasi fabulas, quædam aniles, & laruas ad pueros territandos inductas, ea quæ de iudicijs diuinis scripta sunt, quoties id facere audent, impia dicacitate derideant.

Longius elatus sum quam statueram. Sed cum hoc mihi proposuisssem, vt te de illis opibus comparandis admonerem, quibus instructa fortius Regnum tuum communires, maximumq; & firmissimum Regni tuendi, atque feliciter administrandi, præsidium in sanctissimæ religionis cultu collocandum esse demonstrarem, nihilq; reipublicæ perniciosius esse confirmarem eminenti religione atque sanctitate, nihil magis huic instituto meo consentaneum facere potui, quàm tradere tibi signa, quibus insidias in ficta religionis specie latentes explorares. Si autem memoria tenes eos religionis fructus, quos ante commemorauimus, relictissime quæ sit religio falsa percipies. Nam si vera religio deprimat arrogantiam, compescit iracundiam, refrenat cupiditatem, coercet intemperantiam, repellit animi labes, pudorem atque modestiam conseruat, metum diuini numinis inijcit, fidem erga Reges sancit, concordiam firme constituit, animos amore constringit, atque cupiditate Regni cœlestis incidit: ea certe quæ superbiam gignit, iram concitat, cupiditatem soluit, mentem flagitijs inquinat, pudorem extinguit, Dei metum tollit, Regibus insidias parat, pacem turbat, odium conflat, animos in terram deprimat atque demergit, vera non est, sed falsa, pestilens, atque mortifera. Docui porro hanc sectam (si vna secta appellanda est, quæ non solum anceps, & lubrica, sed varia, multiplex, & infinita est) popularem esse. Populum enim specie nimie libertatis ostensa contra leges, contra legum ministros, contra principum maiestatem & imperium armat, in multitudinisq; furorem falsa religionis autoritate confirmat. Quod si solum regie maiestati interitum afferret, dum modo nullam pestem animis impartaret, & ius illius regni sempiterni non modis omnibus euerteret, fuisset aliqua ratione tolerandum. Sed illud est maxime deplorandum, quod studium virtutis, splendorem honestatis, lumen decoris laudes flagitiorum impuritate contaminat: aditumq; in gloriam illam sempiternam penitus intercludit. Quid igitur est quod nos in fraudem impellat? magistrorum autoritas? At demon-

demonstratum est, quàm longe absint huius disciplinæ magistri à veræ virtutis dignitate, à vitæ grauitate & constantia, à purissimæ religionis sanctimonia. Quid igitur? populi libertas immo- dica? At cum nihil ea sit principibus infestius, tum populû ipsûm funditus euertit, & libertate tandem spoliât. Omnia siqui lem modo conseruâtur, immoderatione vero peruertuntur. Vt enim Rex qui legitimo imperio minime contentus infinitum imperium concupiscit, nec solum omnia humana iura infra se posita esse iudicat, sed diuina etiam potestate sua complecti studet, Regnum tueri diu non potest, cum simul homines à se multis iniurijs alienet, & in offensionem grauissimam numinis cœlestis incurrat: ita populus cui legibus definita libertas minime satisfacit, & ea de causâ omnem ordinem perturbat, & seditiones commouet, & bacchatur, & furit, necesse tandem est, vt cum reliquis bonis, illam etiam libertatem, quam retinere potuit, amittat. Quid igitur? num eam disciplinam sequemur; eo quod ad sempiternam vitam ducat? Sed iam planum fecimus illius opera, petulantiam, impudentiam, libidinem sollicitari, tumultus atque turbulenta dissensiones excitari, flagitia multa suscipi, scelera infinita conflare, memoriamq; postremo pietatis minime deleri, quæ quidem minime in cœlum perducunt, sed in sempiternæ miseræ regionem præcipitant. In quo quidem satis apparet, quanta fide Euangelici viri promissa persoluerint. Hoc enim profitebantur, hoc denunciabant, hoc se cumulate perfecturos esse promittebant, vt corruptos mores ad Euangelij seueritatem reuocarent, & pristinam illam Ecclesiæ puritatem restituerent. Intelligis iam Regina quomodo id præstiterint: non solum enim rempublicam Christianam non sanauerunt, sed potius vbicumque versati sunt, in eo omne studium suum posuerunt, vt quidquid inerat sanitatis opprimerent, & omnia pestiferis morbis inquinarent. Quid igitur minus considerate fieri potuit, quàm illorum authoritate quempiam permoueri, vt ab antiquissima, & sanctissima religione discederet, quæ Iesu Christi sanguine sancita, martyrum supplicio confirmata, sanctorum hominum diuinis monentis illustrata, contra perditos hæreticorum conatus, & tyrannorum impetus semper inuicta, & eadem perpetuo ratione ad nos vsq; continuata permansit, vt religionem colerent nouitate suspectam, authorum flagitij infamem, optimarum rerum interitu calamitosam, exitu diro & horrendo detestabilem? Que quidem

cum à nullo possit sine peste nefaria suscipi, tum Reges, qui se illius impura contagione violari patiuntur, multo grauiorem plagam accipient. Neque enim solum imperij maiestatem, reipublicæ salutem, vitam denique, & dignitatem in summū discrimen adducent, sed quod est longe calamitosius, atque funestius; grauem in se diuini numinis iram prouocabunt, & atrociorem pœnam in omni seculorum æternitate sustinebunt. Quoniam enim plures, quos ipsi sanare, & quorum salutem tueri debuissent, illorum exempla sequuti, in eandem pestem ruent, eo grauioribus supplicijs damnabuntur. Horrendum (inquit Paulus) est incidere in manus Dei uiuentis. Si enim illum ipsum Dominum, cuius clementia nitimur, atque confidimus, cuius opem in rebus perditis & afflictis imploramus, in quem solum cum sumus vndique impugnati respicimus, aduersarium & infestum habuerimus, ad cuius præsidium confugiemus? cuius auxilio recti impetum illius arcebinus? quibus speluncis, aut quibus tenebris occultabimur, ne vultum illius irati & infensi subeamus? Leuissimum illius tactu terra ingenti motu concutitur: montes incendio horrendi fulminis ambulli fumant: cœlum maximo fragore emissis ignibus, offusis tenebris, multisque valde metuendis rebus, cunctos mortales exanimat. Quid est igitur existimandum fore, cum nõ iam naturam leuiter ad metum incutiendum, & animos à scelere deterrendos armauerit, sed ipse etiam cum omnibus suis copijs ad pœnas de sanctissimæ religionis hostibus expetendas, armis seueritatis, & indignationis iustissime succinctus apparuerit? cum omnem fastum & insolentiam, cum omnem humanæ dignitatis elationem iudicio suo peruerterit? cum homines in scelere pertinaces à se repulerit, ignibus sempiternis, acerrimisque supplicijs, sine vlla intermissione cruciandos? Ipse inquit ille Deus Deorum est, & Dominus dominantium, fortis, potens, & terribilis, cuius iudicium, neque cuiusquam gratia inflecti, nec muneribus & donis corrumpi potest. Non igitur iudicia illius horrebimus? non ad illius conspectum trepidabimus? non illius metu perterriti, omnia à nobis flagitia repellemus? Quid si etiam ab illo multis signis de calamitatibus, quæ propter impietatis scelera atque flagitia communibus rebus impendent, multo antepremoneamur? & tamen diuina ostenta negligemus? & tamen in scelere suscepto perseverabimus? Dat quidem (vt est apud Dauidem) multa signa Dominus, quod etiam nostris temporibus.

euenire conspiciamus, quibus adinoniti arcum illius in hostes religionis intentum, vitæ conuersione fugere, & tela castissimo numinis illius cultu retundere valeamus. Quo quidem beneficio si fuerimus ad maiorem audaciam & impudentiam instituti sceleris abusi, opes, vt Paulus ait, iræ diuinæ coaceruabimus, magnūq; cumulum cruciatibus sempiternis afferemus. Christus optimus maximus, hanc tam diram cladem, ab vniuerso Christiano cœtu prohibeat, Ecclesiamq; suam tantis dissidijs grauissime laborantem subleuet, atque tandem aliquando eos qui sunt à communi illius consensu diuulsi, cum illa coniungat, ne tantam materiam lætitiæ Christiani nominis hostibus sempiternis multorum perniciæ & interitu largiatur. Pro mea quidem parte vota mihi perpetuo facienda puto, pro totius Christianæ reip. salute, quæ tota posita est in vnius religionis sanctissimo cultu, & in amoris mutui coniunctione, omniumq; diuinorum bonorum communionem & societate. Cum vero me aliarum nationum, quæ se ab Ecclesia seiuixerunt, causâ valde sollicitet, tum, istius Regni discrimine ita conturbor, vt curam in qua gratia illius verior, nequeam vllis verbis explanare. Doleo enim vehementer, & angor Regnum florentissimum, omnibusq; rebus ornatissimum, & si hoc ad rem pertinet cum hoc Regno, & sanguinis propinquitate, & fœderis antiquitate cõiunctissimum, quod tam multa pietatis documenta dedit, nec plura olim virtutis monimenta constituit, quàm religionis atq; sanctitatis exempla posteris ad imitandū proposuit, his temporibus, aliqua ex parte, perditorum hominum fraudibus & insidijs induclum, in tam ineptas & impias sententias incidisse. Sed me in tanta sollicitudine recreat atque reficit, spes quædam, quam habeo in tuo singulari ingenio, atque præstati benignitate repositam. Ingenij enim maximi est impendentia pericula præcauere, falsam opinionem mendacio animaduerso deponere, veritatem perspectam & cognitam libenter amplecti, nec vllum in pertinacia decus, sed omnem in salutaris conuersionis facilitate dignitatē constituere. Excellentis autem benignitatis est vniuersæ patriæ consulere, atque cum vitæ etiam periculo, si opus ita fuerit, eam omni errore pestifero liberare. Omnis patriæ tuæ salus in te posita est. Si enim violatam religionem expiandam susceperis, teque ad consensum Ecclesiæ totius aggregaueris, & antiquos mores & officia rite colueris, nefarijsq; hominibus expulsis, homines bonos atq;

sanctos asciueris, Christi ope & auxilio confirmata Rempubli-
cam præclare constitues, omnibusque tuis salutem atque vitam
reddes. Sin autem ea quæ labuntur & ruunt fulcire neglexeris
quorsum omnia sint euasura perhorresco. Illud etiam velim re-
cogites, eum qui dignitatem suam dignitati Christi præfert, &
ne aliquod periculum adeat, non omnes suas curas in gloriam
Christi conferendas exilinat, in eam calamitatem frequenter
incidere, quam ne subiret, Christi gloriam hominum flagitijs
imminui, & obscurari sustinuit. Rectissimo enim Dei iudicio fit,
vt qui suam gloriam gloriæ Dei anteposit, omni dignitate spo-
liatus intereat. Contra vero qui præ Christi gloria opes atque di-
gnitatem contemnit, is summas opes & dignitatem multis orna-
mentis amplificatam consequitur. Sapienter enim illum sum-
mum Dominum, qui nunquam res suorum neglexit, sibi patro-
num adoptat, atque ita multo firmiore præsidio opes suas & di-
gnitatem seipit, quam si se maximo & fortissimo exercitu consti-
paret. Quare si Regni tuendi & conseruandi studio flagras, im-
mortalique gloria circumfluere concupiscis, non tam quid tibi ho-
mines opibus tuis firmandis conuenire dicant, quam quid gloria
Christi, quid lex diuina, quid ratio sanctissimæ religionis efflagi-
tet, cogitandum puta. Fac vt tibi tui singularis ingenij veniat in
mentem: respice quibus sis excolta disciplinis: in quo gradu le-
cata sis: quod munus tuendum & efficiendum susceperis: & intelli-
ges ea dona quæ à Deo accepisti, esse tibi potissimum ad illius
gloriam conferenda. Is enim qui ea tibi donauit, beneficia sua, si
te illi totam addideris, ope sua tuebitur, nec te vnquam auxilio
præsentis destituet. Quantiis igitur sola facinus hoc tam præcla-
rum susciperes, vt vniuersam Britanniam ad pristinam fidem re-
uocares, quid est quod non possis efficere, diuino præsidio cir-
cumspecta? Accedit, quod multo plures in isto Regno sunt veræ
religionis amantes, atque pro illius sanctitate supplicia perferre
parati, quam nouis illis institutis atque disciplinis addicti. Qua-
re datum non est, quin facile omnia quæ velis, & diuino, & hu-
mano præsidio munita conficias. Considera deinde quanta tua
gloria futura sit, si Regnum istud paucorum improbitate & sce-
lere perturbatum, atque magna ex parte conuulsium, opera tua
ad pristinum splendorem redierit, & pieratis ornamenta recu-
perauerit. Nam omnium benorum præconio celebraberis: im-
mortali uemoriæ consecraberis: omnis te posteritas tuebitur:

nec

nec vlla ætas de tuis vnquam laudibus conticescet. Quæ enim victoriæ sunt cum tam egregio facinore comparandæ? Quid poterit esse ad laudem illustrius? quæ monimenta possunt clariora ad nominis immortalitatem constitui? Non enim multa hominum millia trucidare, sed impietatem & improbitatem profligare, flagitiorumq; omnium labes ad internecionem delere, laudandum & prædicandum est. Non hominibus pestem & exitium inferre, sed multos homines à peste & exitio vindicare, immortalem gloriam parit. Non multas hostium vrbes armis excindere, sed patrias sedes ab omni flagitiorum colluione, & impietatis incursione tutas & incolumes conseruare, egregiam dignitatem conciliat. Reliquæ enim victoriæ, quanuis à Deo pendeant, armis tamen humanis pariuntur: hæc vero omnium clarissima, solum diuinis armis obtinetur: & illas nemo sine flagitiorum impunitate, & hominum strage consequitur: hæc vero simul cum flagitiorum omnium interitu, & hominum salute cõparatur. Quo circa necesse est, vt hæc illas omnes, quæ humanis armis, & militum strepitu, & hominum viribus partæ sunt, tantum dignitate superet, quantum humanis diuina præcellunt. Quæ quidem eo maiorem admirationem efficiet, quo est difficilius tenebrarum principes, atque sempiternos humani generis hostes ab vna forma viuici, quàm homines ab hominibus in acie superari. Non igitur solum tam illustis laus omnium hominum commemoracione vigebit, sed cœlicum etiam sempiterno præconio celebrabitur. Quare Regina clarissima, per Iesu Christi liberatoris nostri vulnera, per illius sanguinem in Cruce profusum, per illius mortem & acerbissimum cruciatum, per clarissimam illius victoriam, qua de morte extincta atque deleta triumphauit, per illum ignem sempiternum quem in terris implicuit, & quo suorum animos inflammauit, per illud sanctissimum iudiciũ, quo in scelus animaduertet, & inuiolatam fidem, & castam religionem præmijs sempiternis afficiet, per omnes deniq; sanctitates te oro, & obtestor, ne cum tanta præsidia tibi ad immortalẽ gloriam suppetant, tibi ipsa deesse velis. Christum vulneribus pro te concitum intueret: te ad illius pedes abijce: illius crucem amplectere: odium Crucis, quod isti pestiferæ nouitatis authores aperte suscipiunt, à rep. detestare sanctorum vestigijs ingredi: atq; tibi persuade, illam esse rectã viam, quã diuini homines excellenti virtute, continẽtia, puritate præditi, & cum Deo amore

summo

summo coniuncti, & spiritu illius eruditi, tenerunt: non illam quam homines sui amore obsecrati, ingenio suo nixi, confidētia præcipites, flagitijs cooperti, & ab Ecclesiæ coniunctione diuulsi, sequendam esse prædicant. Quod si feceris, Regni tui opes tnebere, & amplificabis, & quod est multo maius, summa cum gloria in cœlestes illas sedes ascendes. Christus optimus maximus te cum summa dignitatis amplificatione, incolumem diutissime conferuet.

F I N I S.

